PATRICI
EPITHALAMIUM AUSPICI ET AELLAE

DENUO EDITUM PRAEFATIONE INSTRUCTUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM

ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

RUDOLFUS BUENTE
HANNOVERANUS.

MARPURGI CATTORUM
MDCCCLXXXXI.

Typis: Wilh. Riemschneider, Hannover

THEODORO BIRT

S.

Carmina a Casparo Barthio ex variis codicibus collecta primumque edita quid audiant notum est. Baehrensius vir doctus postremus iis operam dedit suaeque poetarum Latinorum minorum editioni sub calcem ea adnexuit et eorum numero inseruit, quae inscripsit: Dubia, suspecta, falsa.

Neque erunt profecto nisi pauci, ut opinor, qui intentiore cura ea legant vel aestiment.

Quare equidem in hanc ipsam rem inquisiturus ab omnibus, qui mecum in obscuram vastamque hanc regionem descendere non dubitant, ab initio coepto quasi veniam petere debere mihi videor.

Verum id tamen lucri nos percepturos esse spero, ut hic illic tandem amoeni aliquid nobis aperiatur itinere nostro.

Liceat etiam hic ipsius Barthii sententiam proferre, qua se apud nos commendare visus est quaeque fortasse huic nostro studio gratiam inferre potest. Dicit Barthius Adversariorum lib. XXXI 13: *Etsi plurimi sint qui de scriptoribus aevi inferioris aliter sentiant, ego tamen et saepe iam declaravi me in ea esse sententia et vero pertinaciter permaneo illos luce dignissimos esse.*

Quod quidem dictum facilius erit intellectu, si in. iis, quae sequuntur, plura de viro illo docto protulerimus.

Casparus Barthius igitur inter permulta alia, quae ingenio minus quam calamo molitus est, etiam nonnulla nec tam pauca carmina incertorum auctorum diversis operum suorum locis dispersa nostrae memoriae tradidit, quae secundum naturam indolemque in numerum illorum carminum Latinorum referuntur, quae pretii minoris vel sequioris aevi esse vulgo dicuntur. Itaque uni ac soli Casparo Barthio debetur, quod illa ab eo *tamquam opem postulantia*, ut ait Advers. lib. XXXI 9, inventa ex codicum oblivione vel ex semirutarum membranarum reliquiis in nostrum conspectum pervenerunt.

De hoc autem maxime eius studio ipsum Barthium audiamus, cuius verba huic rei aliquam lucem inferre videntur. Dicit enim Advers. l. XVI ineunte capite I: *Quam farraginem variorum Epigrammatum immortalium in bonas litteras meritorum P. Pithoeus edidit, posse longe ampliorem non solum ex lapidibus priscis sed et codicibus cascis fieri nemo eruditorum infitiabitur; utinam vero faceret tandem quisquam hoc ex cordatioribus; in nobis quantum est, non deerimus suppeditaturi nonnulla per Europam hanc varie collecta non sine sumptu et labore taedioque nostro.*

Quod vero tunc expressit desiderium, nostris temporibus optime ad effectum adductum est. Habemus hodie carminum Latinorum minorum collectiones cura Riesii et Baehrensii doctorum virorum comparatas. Dolendum autem est, quod inveteratam contra Barthium opinionem secuti omnes fere nostri saeculi homines docti iustam, quam in eadem re consumpsit, viri operam adeo contempserunt, ut carmina ab eo collecta atque servata quasi e notha origine nata satisque suspecta acceperint. Non quidem pauci fuerunt — vel sunt — qui carmina a Barthio oblata ab hoc ipso sive interpolata et corrupta sive omnino facta et efficta esse putarent. Attamen equidem puto, quod iam Baehrensius (P. L. M. V p. 408) sensit, in suspectanda viri fide plerosque nostri saeculi homines doctos fuisse nimios. Quin etiam inveteratam fere consuetudinem secuti adhuc nihil antiquius videntur habuisse, quam ut Casparum Barthium omni modo despicerent: sive inedita, quae protulit, in suspicionem vocarent, sive eum in recensendis emendandisque scriptoribus nullius iudicii, nullius auctoritatis esse dicerent. Talia quidem sentientibus multum valuisse videtur quod Bentleius (edit. Horat. p. 79) olim iudicavit: *Multa sane brevi aevo molitus est Barthius et πολυμαθίας seu potius πολυαναγνωσίας gloriam etiam iuvenis consecutus est, verum enim cum ad iudicium res deveniunt, brevi sane arcu plerumque iaculatur neque ad scopum pertingit.*

Certe quidem Barthius multa scripsit vaga viliaque, in iudicando summam adhibuit levitatem. Attamen tanta eum fraude admissa litterarum dignitati illusisse sine

iustis causis aut certis testimoniis credere non possumus. Sane quidem facillime fieri potuisse, ut suspicio contra eum invalesceret, inde apparet quod codicum, ex quibus Barthius se hausisse ait, nos non iam participes facti sumus. At mea quidem opinione pro certo id ipsum stat, quod illis Barthii temporibus tali, ut ille fuit, diligenti codicum scrutatori, qui in tot itineribus tot vidit urbes, tot celeberrimas bibliothecas pervestigavit, non pauca nondum cognita in manus pervenerunt. Cuius rei exemplum, quo eodem Barthii fides firmatur, exhibet Riesius anthol. lat. II p. XXXIV. Affert carmen de Maria virgine (ibid. 766), quod Barthius incertum quo codice nisus „Andreae oratori primum tribuit, nescius hoc nomen multo post Aldhelmi arte metrica a Maio publicata confirmatum iri.“

At ne quid celare hoc loco videamur, aliam atque satis miram rem hic paucis attingamus. Constat enim Barthium singulari atque paene insana cupiditate praeditum fuisse omnes, quos tractavit, scriptores emendandi atque ad suum ingenium commutandi, ita ut in vagis coniecturis faciendis perquam nimius esset. Accessit ut in tali negotio tantaque in audacia ne ingenium quidem satis praeclarum atque acutum eum adiuvaret. Quod verbis *Barthio sol non luxit* optime expressit Th. S. Bayerus carmina illustrans, quae sub Vestritii Spurinnae nomine Barthius in lucem ediderat. Illi igitur quam diximus cupiditati Barthius adeo serviit, ut ipsum veritatis amorem neglegeret. Atque non semel tantum, immo saepius ad probandas quasdam lectiones a se inventas et scriptoribus quibusdam imputatas codicis cuiusdam auctoritatem finxit, qui omnino non extitit, quem numquam vidit. Quod ingeniose atque ita, ut dubitationem non admittant, certis argumentis statuerunt Bursian in commentatione quae inscribitur: Ex Hygini genealogiis excerpta (Turici 1868) p. VIII, deinde de alio exemplo Mommsen in Herm. VIII p. 74, postremo O. Jahn in Prolegomenis ad Censorinum p. XVII.

Hic quaeras, quomodo fieri potuerit, ut Barthius ferrea quidem fronte semper atque nullo fraudis deprehendendae

metu tactus talia contenderet. Sane hercule id non potuisset, nisi re vera multos codices sive in itineribus sive aliunde collectos eum possidere inter aequales satis constitisset. Ipse autem Barthius confirmat Advers. I 3: *Inter cetera antiqua monumenta ingens copia Christianorum poetarum ad me correpsit, et pauci sunt, quorum exemplaria manu exarata complura non habeam.*

Quare si id mecum considero, quam multo facilius sit singulas scripturas per fraudem commutare ficticii cuiusdam codicis fide nisum, quam totius carminis contextus fidem mentiri, profecto non video, cur omnia, quae ille protulit, nullo adhibito iudicio ablegemus adeoque in suspectando procedamus, ut etiam carmina ab illo ex codicibus exarata atque tradita spernamus. Etsi enim non omnia, quae protulit, bonam prae se ferunt speciem, tamen certe nostrum videtur esse grana eligentes e palea sine ira et studio, quae digna sunt, recipere. Nec dubito quin nonnulla, si intentiore cura lecta a viris doctis aut satis acri subtilique iudicio aestimata essent, iamdudum laudata atque numero ceterorum non suspectorum anthologiae carminum inserta forent.

Quae cum ita sint, fortasse exspectes nunc nos Barthium laudare atque ab omni opprobrio purgare suscepturos — quod mehercle res haud parva, si quidem respicere velis quantum ille scripserit —; immo minus hodie propositum habemus, quod tamen non parvi momenti est ad totam de illis carminibus quaestionem satis solvendam.

Proposuimus unum tandem ex illis carmen, quod perlegenti mihi omnium longe optimum nec laude indignum visum est, in suam dignitatem restituere nec non collectis antea omnibus indiciis atque argumentis, unde certe appareret prorsus genuinum esse carmen atque antiquum, ad calcem deinceps huius commentationis novam eius atque iustam editionem adicere. Dico **Patricii,** quod vocatur, epithalamium Aʃuspicii et Aellae[1]), cuius de fide ac dignitate duobus, quae sequuntur, capitibus uberius praefari iam licebit.

[1]) Wernsdorf, P. L. M. IV 2 p. 475. Riese, Anthol. 941. Baehrens. P. L. M. V p. 422.

Caput I.

Priusquam ad rem ipsam accedamus, in universum, quae ad carminis condicionem pertineant, paucis adumbremus.

Edidit Barthius carmen sub finem commentarii in Claudiani epithalamium Palladii et Celerinae[1]) verba addens haec:

Porro clausula huius elegantissimi carminis — id est Claudianei epithalamii — *in memoriam reducit Scidam veterem, in Mediomatricum quondam nobis Metropoli inter oblatas temere membranas redemptam, quae Epithalamii cuiusdam initium habet, Auspicio quondam et Aellae, Romanae Juventutis primatibus decantati, cuius titulus Patricium aut Patritum quemdam auctorem praefert, scriptorem utique veterem nec improbum; modo ne dignitatis id fuerit vocabulum, vero scriptoris abroso, ut arbitrari quivis poterit, initium ipsum membranae deficere contuitus. Id fragmentum ad calcem huius Poematis posteritati condonare placet, quod bene vortat.*

De epithalamio igitur vel potius epithalamii, ut ait Barthius, fragmento agitur, de quo nihil sane scimus, nisi quod ex his Barthii indiciis discimus. Vetus autem illa scheda, quam opportuno casu adeptum se esse aït, videtur paucis, ut opinor, fortasse duobus tantum et iam laesis atque truncatis foliis constitisse, quibus praeter epithalamium alia deinceps inerant, ut testatur Barthius sub finem huius epithalamii dicens:

Hactenus schedae veteres, quibus pagina una interioris insunt alia deinceps minime ad hunc Apollinem facientia; potius ad Marcelli illum experientia sola ususque [legatur usuque] *uno magistro medicamenta membrorum docentis.*

---

[1]) Claudiani carmina ed. C. Barth. Francof. 1650 p. 462 sq.

Videntur autem versus fuisse Marcelli Empirici.[1]) Ergo si folia duo cohaerentia fuisse conicimus in iisque paginas quattuor, fortasse ita computandum erit:

Vocemus folii primi paginas 1 et 2, folii secundi paginas 3 et 4; apparet paginas 2 et 3 esse „interiores". Constat Marcelli versus in iisdem foliis extitisse ita, ut in pagina interiore, id est vel pagina 2 vel 3, legerentur vel saltem initium caperent. Computemus versus 78 Marcelli et 92 Patricii: evadunt 170; addamus titulis duobus aptos versus 2: evadit versuum summa 172, quam si per 4 paginas distribuimus, habebit pagina unaquaeque versus numero quadragenos trinos. Qui numerus quantopere cum consuetudine librariorum saec. XII—XIII conveniat, experti sciunt. Accedit quod Barthius confirmat initium ipsum membranae defuisse — quod quidem damnum levissimum fuisse verisimile est — nec quicquam amplius extitisse tituli nisi vocabulum Patricii, quod auctorem carminis significare opinatur; quod insuper etiam Patriti intellegi potuisse scilicet propter litterarum obscuritatem. Itaque habuit carmen titulum: atque mea quidem opinione is saltem fuerit necesse est: Patrici epithalamium. Nam Barthium in legendis codicibus videri non sat exercitatum fuisse iam Baehrensius l. l. p. 408 recte iudicavit. Nomina autem sponsorum, Auspicii et Aellae, quae praeterea memorat Barthius, ut iam Wernsdorfius l. l. p. 470 suspicatus est, non videtur in fronte schedae legisse, sed cognovisse e versu 60 epithalamii.

Habes quae ex Barthii indiciis concludi possunt. Neque vero, haec omnia si computo, equidem facere possum, quin fatear ea, quae Barthius hic enarravit, speciem veri utique non dissimilem prae se ferre. An putas fieri potuisse, ut

[1]) Marcelli de medicamentis liber ed. G. Helmreich Lips. '89. Ceterum miror perquam, quod Helmreich non solum hoc Barthii de Marcelli carminis aliquo codice indicium omnino silentio praeteriit, sed etiam varias illas lectiones numero non paucas prorsus neglexit, quas Barthius Adversariorum lib. L cap. VI Marcelli versus illustrans ex vetere codice haustas ita protulit, ut carminis auctorem Vindicianum acciperet. Quam in rem diligentius inquirere hoc loco nostrum non est.

ille suo fetui etiam illud adderet, quod sub finem carminis legimus: *Hactenus schedae veteres, quibus, pagina una interioris, insunt alia deinceps, minime ad hunc Apollinem facientia potius ad Marcelli illum —?*

Immo certe non parvi ponderis id ipsum est, quod illa alia, quae foliis inerant, *ad Marcelli Apollinem facientia* fuisse scimus. Nam de Marcelli carminis fide nemo adhuc dubitare ausus est neque quin quinto saeculo Marcellus vixerit. Itaque vix est putandum prorsus temere ac solo casu evenisse, ut epithalamium, quod et ipsum quinto saeculo cum specie veri tribui posse infra videbimus, una cum aequali carmine Marcelli traderetur.

Atqui, ut saepe fit in talibus quaestionibus, quae sunt de verisimilitudine rei maiore minore, interdum res occurrit, qua primo obtutu dubitationes incitari videantur. Quod mihi accidit, cum felici casu Barthii Soliloquiorum opus[1]) in manus meas venisset, cui insunt non pauca editoris propria carmina. Statim ad haec perlegenda perscrutandaque accessi. Tum profecto satis cognovi, quod Barthius ipse saepius de se contendit (cf. Advers. l. XIV 15), qua incredibili versificandi facultate fuerit. Quin etiam mecum cogitavi tanto fortasse ingenio tantaque in litteris praecipue Romanis intelligentia et singulari studio praeditum fuisse Barthium, ut veteres poetas prorsus eleganter ac tali modo imitaretur, ut fraudem perspicere hodie vix possemus. Neque hac una re obstipui, accessit quod parumper maiora neglegens minoribus nimis tribuens dicendi rationis quasdam similitudines quamvis paucas inter Patricii epithalamium et Barthium observare mihi videbar. Quod primo rem in suspicionem vocavit. Nam semel atque iterum id cavendum esse ipse mecum cogitabam, ne solum desiderium totam cogitationem pareret.

Attamen propter multa atque talia, quae dubitationem non admittant, argumenta coactus sum in ea sententia perseverare Patricii epithalamium genuinum esse atque anti-

---

[1]) C. Barthi Soliloquiorum rerum divinarum libri XX. Cygneae 1655.

quum Barthioque remota, quae diu pressit virum, suspicione certam tribuendam fidem.

Quae cum ita sint, nunc, quoniam patet via, ingrediamur. Sunt autem tria, quae afferri videntur posse. Nam primum, si id, quod Barthius de carminis auctore profert, argumentis haustis ex antiquae aetatis exemplis probare possumus, certe id fraudis suspicionem imminuet.

Alterum argumentum licet ex eo capere, quod nomina sponsorum Auspicii et Aellae, quibus epithalamium scriptum est, ad eandem antiquam aetatem referri statuamus.

Denique si ex aliis, quae carminis propria sunt, ut ex dicendi ratione vel ex re metrica vel aliunde, certa possumus indicia colligere, satis verisimile fieri videtur carmen genuinum esse.

Ac primum quidem de carminis auctore qui accuratius disputaret praeter Wernsdorfium nemo extitit. Nam Petrus Burmannus Secundus, qui carmen ex Barthio recepit in numerum carminum, quae sub titulo: Anthologia Poetarum Latinorum in lucem edidit, non habere fatetur, quid ex illo *Patricii* de ipso auctore concludat. Videtur autem ipsum Barthium secutus esse, qui auctoris significationi id addidit suspectum: *modo ne dignitatis id fuerit vocabulum.* Quamquam idem Burmannus concedit multis sane veteris aevi hominibus illud nomen fuisse affertque duo exempla. Quod autem Barthius primus in dubium vocavit suspicatus tituli cuiusdam nobilis auctoris vestigium inesse vocabulo Patricii, cum id per rerum quidem naturam admitti potest, si quidem apud Boëtium — ut exemplo utar — videmus hunc in librorum inscriptionibus cognomine patricii semper nominari, tum haud difficile est intellectu nihil aliud, nisi quod initium membranae laesum cognovit, Barthium ut de Patricio dubitaret impulisse. Quamquam si quidem fieri potest, ut probemus nomen illud Patricii antiquitus usitatum ac multis viris proprium fuisse, interrogo: utrum facilius atque melius intellegitur: illo, quod in fronte carminis ab interitu relictum repertum est, significari nomen minime rarum, quod ad auctorem

pertineat, an dignitatis vocabulum, quod in publicis honoris praescriptionibus saepius, in carminum titulis rarissime inveniatur? Rectissime respondit Wernsdorfius l. l. p. 470: *Ego vero malui Patricii vocabulum auctoris nomen existimare et titulo epithalamii apponere, cum in fronte carminis atque eo loco repertum sit, ubi nullum aeque usitatum et necessarium ac auctoris est, idque constet sub aevo Christianorum Imperatorum multos illustres viros gessisse.*

Invenimus igitur **Patricios** nominatos viros extitisse primum post Christum natum saeculo quarto.

Floruit sub Valentiniano, Theodosio, Arcadio Patricius magister officiorum, ut ex codice Theodosiano[1]) intellegimus.

Iam autem Symmachus epistulas VII 54—65 misit ad Patricium, qui magister epistularum regiarum annis 396—400 fuit.

Alius fuit Patricius, de quo idem Symmachus in epistula II 11 ante a. 395 Flaviano fratri scripsit: *Sanctus Patricius, quem praesulem itineris tui esse voluisti, brevi te adfore nuntiavit,* cuius quod familiaritatem nanctus est, in epistula II 90 ad Flavianum fratrem superbit.

Deinde ad eandem fere aetatem spectat Patricii astrologi vel magi cuiusdam memoria, quem et Suidas tradit sub Ioviano imperatore floruisse et Ammianus Marcellinus (lib. XXX 1) a Valente anno 371 occisum esse memorat.[2])

Patricius autem, pater Augustini, et idem vixit saeculo quarto.

Porro Marinus vit. Procli 6 Patricii patris Procli philosophi mentionem facit; nescio an idem sit, cuius memoriam Damascius vit. Isidori 132 breviter attingit.

Quinto saeculo, circiter anno 420, Patricius rerum privatarum comes sub Theodosio iuniore fuisse in codice Theodosiano l. l. legitur.

---

[1]) videri potest in Gothofredi Prosopographia codicis Theodosiani p. 73.

[2]) idem memoratur apud Zosimum IV 15 (Mendelssohn p. 170).

Notissimus autem Patricius, Hibernorum apostolus, anno 493 obiit.

Ex Fastis consularibus apparet et anno 459 Patricium et anno 500 Patricium consules fuisse, quorum de maiore, Asparis filio, Lambecius[1]) fusius egit.

Sub annum 500 Patricius rhetor floruit, ad quem Boëtius commentarios in Ciceronis Topica misit.

Sextum saeculum etiam vidit Patricius quidam quaestor, ad quem extat apud Cassiodorum (Variar. X 7) epistula Theodahadi regis.

Porro Photius bibl. cod. 63 Patricium magistrum memorat, qui sub Anastasio I (491—518) imperatore unus ex quattuor ducibus exercitum contra Persas ducentibus fuit.

Ennodius autem Patricium diaconum iuvenem sibi cognatum memorat in epistula IX 9.

Sub exitum, ni fallor, eiusdem saeculi Patricium quendam abbam fuisse ex Bibliotheca Caesarea Lambecii (l. V 235) scimus.

Praeterea Patricii nomen inveni tribus Anthologiae Palatinae locis: c. XI 261: *Υἱὸς Πατρικίου μάλα κόσμιος* eqs. et XI 386 de dea Victoria v. 4: *Πατρικίῳ δέδομαι* et I 119, quod carmen Patricii cuiusdam sacerdotis christianum librum laudat: *Βίβλος Πατρικίοιο θεουδέος ἀρητῆρος ὃς μέγα ἔργον ἔρεξεν, ὁμηρείης ἀπὸ βίβλου* eqs. *Hic est* — ut exhibet Fabricius bibl. Graec. tom. I p. 555 — *Pelagius Patricius, quem interfecit Zeno imperator, a quo Pelagio Homerocentones compositos testantur Cedrenus et Zonaras.*

Semel autem deminutivum Patriciolus occurrit apud Procopium de bello Pers. I 8.

Accedit magnus numerus huius nominis virorum certe haud humilium, quorum memoria servata est inscriptionibus et iisdem plerisque ex christianorum imperatorum temporibus oriundis. Huc pertinent hae sepulcrales:

[1]) cf. notas ad G. Codinum p. 258 in corp. script. hist. Byz. 1843; ceterum Photius bibl. cod. 79 hunc Patricium caedem, qua pater et Ardaburius frater a Leone mactati essent, effugisse, postea a Basilisco e medio sublatum esse refert. Et idem est, qui CIG II 3467 memoratur.

CIL XII (Gall. Narb.) 2133 [tabula marmorea]:

in hunc tumulum requiescit bonae memoriae Patricius, qui vixit annos LXV. Obiit in pace id. Mart.

CIL XII (Gall. Narb.) 3791 [stela fastigiata saeculi II]:

D. M. Patricii ann. XVI Neratius Sedatus.

CIL X 2, 8174 prope Neapolim [in crypta]:

Patricii. Patricium domus haec aeterna laude tuetur. Astra tenent animam, cetera tellus habet. Requievit in pace sub D. cons.

CIL X 1 1379 prope Nolam:

Dep. Presb. Patrici.

CIL VI (urb. Rom.) 23853:

D. M. Patricio filio, qui vixit annos XXI m. X. d. XXIIII parentes bene merenti fecerunt.

CIL II (Hisp.) 65:

D. M. S. Patricius.

CIG IV 9616 [Romae eruta]:

Πατρίκι[ος] ἔζησεν ἔτ[η] ξγ̄.

CIG IV 9871 [in urbe Ticinensi (Pavia) rep.] saec. V:

Ἔνθα ἀναπαύονται οἱ καλοκύμ[ητοι] Πατρίκιος κ[αὶ] Παῦλος, γνήσιοι ἀδελφοὶ υἱοὶ Ἀββωσᾶ κώμ[ης] Μαρωτάτων ὅρων Ἀπαμέων.

Praeterea occurrit nomen Patricii tricies quater aliis in inscriptionibus quae extant CIL VII (Britt.) 1198 (massa argenti); 1336 [806—811. 1079. 1080] (XXII patellae) CIL IX 6408 rep. Campomarini (tegula), XII (Gall. Narb.) 5686 678 (instrum. domesticum), II (Hisp.) 4970 376 (vasa). Porro CIL XIV (Lat. 2408 (IV 8) inter tricena nomina in lateribus basis cuiusdam perscripta etiam occurrit nomen Patricii. Item CIL III (Phryg.) addend. 3857 g.

Restat ut addamus etiam nomen Patriciae compluribus feminis fuisse, quod videri potest ex his inscriptionibus sepulcralibus: CIL II (Hisp.) 2796 et 3630, III 1 (Dac.) 1515, VI (urb. Rom.) 23854, VI 5 (urb. Rom.) 3500 urna marmorea, XII (Gall. Narb.) 682 a (sarcophagus saec. III) 3370, CIG IV 9302, 5.

Habes argumenta, ex quibus satis videri potest nomen Patricii sub aevo christianorum imperatorum non rarum

fuisse. Unde facile concludat quispiam auctorem etiam nostri carminis ad illud tempus referendum esse. Nec profecto veri dissimile, si Patricium auctorem epithalamii nunc quidem probamus, illum hac maxime aetate floruisse; quamvis negari non possit nos non habere, quod unum ex iis modo memoratis Patriciis auctorem epithalamii esse dicamus. Quod tamen visum est Paldamo[1]) et Meyero[2]), quorum alter epithalamium esse Patricii illius, ad quem Symmachus scripsit, alter illius esse putabat, ad quem Boëtius commentarios in Ciceronis Topica misit. At de illis Patriciis nihil notum est, unde illos ne a poesi quidem afuisse apparet, neque ex ullis carminis nostri argumentis quicquam amplius intellegere hodie nobis licet quam hoc, qua circiter aetate Patricius ille auctor epithalamii vixerit. Attamen rei verisimilitudinem usque ad extremum quendam finem perducere atque augere licet. Nam neque arbitratu difficile in ipsa urbe Roma auctorem vixisse, praesertim cum Romanis iuvenibus epithalamium dictum sit, et vero exeunte quarto vel quinto potissimum saeculo fuisse nostrum Patricium etiam alia deinceps argumenta consentiunt, quae infra explicabimus. Quae cum ita sint, si coniecturam facere non videtur supervacaneum esse, imprimis fortasse de illo, quem etiam Paldamus suspicatus est, Patricio auctore carminis cogitari potest, quem a. 396—400 magistrum regiarum epistularum fuisse ex Symmachi epistulis scimus. Hic enim non solum Romae et ea, quam diximus, aetate fuit, sed etiam secundum munus, quo fungebatur, homo in litteris eruditus multaque lectione exercitus fuerit necesse est; quod Symmachus in epistula VII 60 significat verbis eum appellans his: *quae in te pollet oris ubertas.* Ceterum de hac re quivis, quatenus progredi posse videatur, iudicium sibimet servet.

Nullo modo autem Patricio illi Hibernorum apostolo, cuius sub nomine complures extant versus Latini (cf. Riese 791), nostrum epithalamium adscribi potest, quod tantum ab illo utique christiano auctore abest, ut qui paucos tantum eius

[1]) Römische Erotik p. 90. [2]) Anthologia I annot. 283.

versus legerit, desipere videatur epithalamium illius esse existimans.

Quare ad explorandam carminis aetatem aliud argumentum in medium proferamus quaerentes, num quid certi ex sponsorum nominibus **Auspicii** et **Aellae**, quorum nuptiae epithalamio celebrantur, concludi possit.

Ex carmine ipso cum hoc tantum constat Auspicium et Aellam ex Romanae iuventutis primatibus fuisse, tum nominibus ipsis, imprimis Auspicio, inesse videtur, quod ad sequioris aetatis usum spectet.

Ac primum Auspicii nomen secundum naturam ab aureae latinitatis temporibus alienum esse elucet.[1]) Nam talia ut Auspicii nomina propria, quocum conferenda sunt nomina ut Praesidii, Principii, Consilii, Desiderii, Studii, Memorii alia eiusmodi, id habent commune, quod formata ex appellativis originem duxerunt e proprio illo ac praecipuo ipsius sequioris aetatis ingenio. Pertinent ad ea nomina propria, quae ab nominibus antique Romanis facile distinguuntur ac signa vocari solent.

Sicut autem Auspicii, cuius nuptiae nostro carmine celebrantur, aetatem ac dignitatem omnino non iam possumus destinare, ita tamen quod quidem de nomine, quo maxime aevo usitatum fuerit, adhuc cognovimus, id satis confirmatur, cum videmus idem aliis eiusdem aetatis viris fuisse.

Auspicium virum praefectorium ineunte saeculo quinto in Gallia fuisse ex Sulpicii Severi Dial. III c. 7 cognoscimus. Paulo post Auspicius episcopus Tullensis floruit, ad quem scripsit Sidonius Apollinaris epistulam X libri VII. Idem Auspiciam mulierem memorat lib. IV ep. 21.

Atque etiam inscriptionis testimonium habemus, quo nomen Auspicii testatur:

CIL X 4032:

D. M. Aurelio Auspicio filio dulcissimo parentes.

Auspiciola autem, nomen puellae, apud Salvianum epist. IV legitur.

---

[1]) cf. Wernsdorfii praef. ad epithal. P. L. M. IV 2 p. 472.

Quinto igitur saeculo, quippe quo fere omnia hic memorata nomina inveniantur, usitatius fuisse nomen Auspicii videtur.

Eandem fere aetatem Auspicium illum vidisse, cui epithalamium scriptum est, immo vero eadem hac aetate epithalamium ipsum ortum esse, non solum cum Patricii illius aetate, quem poetam probamus, sed etiam cum ipso carmine, qualemcumque naturam condicionemque prae se fert, quo magis convenit, eo minus verisimile videtur nomen Auspicii a Casparo Barthio inventum esse.

Aella autem, nomen Graecum, procellam significans, quocum Aello, nomen Harpyiae, conferri vult Wernsdorfius, alias semel occurrit. Dicit Diodorus (IV 16) de Aella, Amazonum celerrima, quam primum occidit Hercules. Verum etiam in memoriam vocat hoc nomen similia apud veteres inventa, ut *Aura, Zephyris, Favonia.*[1])

Itaque nihil obstat, quin illud nomen inferioribus temporibus feminae cuidam fuisse credamus.

Nunc igitur, si eorum, quae adhuc ad probandam carminis fidem in medium protulimus, summam facere licet, cognovimus haec:

Neque ea, quae Barthius tradendo adiecit carmini, fraudis instar videntur, neque vero nomina vel poetae vel personarum, quibus carmen dictum est, habent quicquam quod suspicionem aut dubitationem pariat, immo haec maxime ita consentiunt, ut certam iam carminis aetatem liceat cognoscere.

Sunt autem haec ea argumenta, quae quasi externa carmini adsunt. Jam autem accedunt interiora, quae ex ipso epithalamio eiusque natura atque indole licet haurire. Quid quod haec talem prae se ferre speciem videbimus, ut cum eo, quod adhuc de carminis aetate statuimus, optime consentiant?

Sed priusquam ad ipsum epithalamium contemplandum progrediamur, omnino de genere poesis, quod „epithala-

[1]) cf. Wernsdorf l. l. p. 471.

mium" nominatur, nonnulla videntur praemittenda, quo facilius intellegamus, qualibus signis atque proprietatibus seriora potissimum epithalamia, quorum in numerum Patricii quoque epithalamium recipi volumus, insignia appareant.

Nam epithalamium, carmen sollemne a Romanorum poetis studio quodam et amore cultum, proprio sensu non id esse constat, quod nomen significet, quod apud exemplaria Graeca ἐπιθαλάμιος fuerat. Nam a principio carmen fuerat, quod novis nuptis thalamum ingressis virgines concinebant, cuius generis exempla Catullo debemus; conferas Catulli carmina LXI et LXII, quae pari modo prorsus ad Graeca exempla composita videntur, etiamsi carmen LXII, quod quidem Quintilianus nomine epithalamii significat (cf. IX 3, 16 *Catullus in epithalamio*), simul propter formam alternariam ad veteres Romanorum versus Fescenninos spectat. Postea autem omne nuptiale carmen, quo res ipsae nuptiales et sponsorum laudes referebantur, servato nomine epithalamium nominabatur. Talia autem carmina superstitia habemus imprimis Statii et Claudiani. Quorum potissimum epithalamia panegyricam speciem iam praebent nec parum eo spectant, ut cum nuptiarum pompam celebritatemque omni fabularum apparatu satis copiose instructam, tum maxime sponsorum laudes atque virtutes praedicent. Qua in ratione ut nostrum quoque carmen, ita omnia illa numero non pauca inferioris aevi epithalamia versari videmus, quamquam in eis christianorum auctorum fetibus veterum deorum imagines christianae religioni quadam tenus accommodatae apparent. Extant autem epithalamia secundum Claudianum Paulini, Sidonii Apollinaris, Dracontii, Ennodii, Luxorii, Venantii Fortunati aliorum sive christianorum sive nondum christianorum.

Nec sane mirum videri potest, quod huic potissimum poesis generi inferiores poetae adeo operam dederunt. Nam quo tempore vera veterum deorum opinio iam pridem deleta erat, cum praecipue nuptiarum ritu agendo veteris religionis instituta in memoriam hominum revocari viderentur, felicissimum ac multis acceptum opus, quo nova ac vetera in unum

confundi et inter se pugnantia placari posse viderentur, in hoc repertum esse apparebat, si veterum deorum quasi exanimes imagines christianae mentis spiritu ad novam vitam excitare vel maxime hoc poesis genere coeperunt. Itaque omnes deorum ac dearum personae totusque fabularum apparatus, qui in his epithalamiis a poetis in medium proferri solet, magis magisque allegoricam ac symbolis similem speciem ostentant, quae tamen ne ab eis quidem epithalamiis abesse videtur, quorum poetae nondum ad christianam legem transierant.

Eiusdem vero rei vestigia non minus quam alia illius aetatis signa nostrum quoque carmen praebere videbimus, cuius de auctore utrum christianus fuerit necne nihil sane scimus; nempe ex solo carmine certi nihil concluditur.

Quae cum ita se habeant, nunc ad ipsum Patricii epithalamium accuratius perspiciendum accedamus, quo quid ad carminis fidem firmandam inde sit statuendum cognoscamus.

Ac primum quidem argumentum carminis audiamus simulque ad hoc illustrandum ea addamus, quae nobis carmen conferentibus cum aliis eius maxime aetatis carminibus, ad quam Patricium quoque poetam referri volumus, de fide ac dignitate eius in animum venerunt.

Incipit poeta verbis *Vere novo florebat humus* a descriptione veris renascentis, sicut serioris potissimum aevi poetae epithalamiorum amabant. Exempla apponam haec. Incipit Ennodii epithalamium dictum Maximo (CCCLXXXVIII Vogel):

> Annus sole novo teneras dum format aristas

et Venantius Fortunatus (lib. VI 1 Leo):

> Vere novo tellus fuerit dum exuta pruinis.

Neque aliter Pervigilium Veneris v. 2:

> Ver novum, ver iam canorum.

Quae quidem ratio saepius, ut videmus, repetita iam spectat ad scholasticam quandam carmina componendi consuetudinem, quae inferioribus temporibus praecipue inde a saeculo quarto increbrescebat. Quocum arte coniuncta est alia illa inferiorum poetarum consuetudo imitandi, quae

paene nimia ac tanta fuit, ut ne totos quidem locos ex exemplis clarioribus decerptos suis carminibus inserere poetae tum vererentur. Ab hac culpa, sicut omnino a vitiis auctorum sequioris aevi ne hunc quidem Patricium alienum esse infra accuratius videbimus. Nunc unde digressi sumus redeamus.

Eleganter enim poeta ineunte epithalamio sicut sollemni more usus vernum tempus nuptiis et amori peropportunum (cf. Pervigil. 3: *Vere concordant amores*) esse fingit, ita de procreatrice vi naturae atque de Aetheris et Terrae coniunctione, quod optime huc quadrat, verba facit. Prorsus autem antiqua est haec fictio de terra ab aethere imbre tamquam genitali semine fecundata; saepissime haec apud veteres poetas occurrunt. cf. Verg. Georg. II 325:

> Tum pater omnipotens fecundis imbribus aether,

Columella X 204 sqq.:

> Maxumus ipse deum posito iam fulmine fallax
> Acrisioneos veteres imitatus amores
> Inque sinus matris violento depluit imbre.

Lucret. I 251 sq.:

> Postremo pereunt imbres, ubi eos pater Aether
> In gremium matris Terraï praecipitavit.

Similia etiam apud Euripidem Aeschylumque inveniuntur[1]).

Porro autem poeta versu 6 naturae serenum statum effigiemque amoenam describens pergit ad deorum nomina enumeranda. At non deos ipsos, sed potius astra hic intellegi vult. Quare non mirum quod etiam Dianam, Latonae filiam, hic inducit, quae nimirum a talibus Veneris rebus, quales poeta narraturus est, abhorret. Vide Pervigilii argumentum hoc (v. 47):

> Regnet in silvis Dione, tu recede Delia.

Ergo Luna, tamquam cetera astra, Sol, Lucifer, Iuppiter, Mercurius (*Maiae pignus)* intellegantur, quae per aperta nitentia (v. 9) omnia rei favent, *secluso* quidem uno Saturno, quem excipit poeta.

Iam vero sequitur narratio, quae ad poeticam fabulis

[1]) cf. Wernsdorf, P. L. M. III p. 537.

et deorum dearumque imaginibus exstructam fictionem pertinet. Magno comitatu audimus exiisse Venerem Thessalica Tempe visuram. Singuli dehinc comites ex ordine enumerantur: Gratiae, Natura[1]), Voluptas, Spes, Siren, Cupido, Amor et Amorum exercitus. De loco autem, unde proficiscitur haec Veneris pompa, cum initio quidem poeta nihil proferat, simpliciter statui videtur inde Venerem exitum facere, ubi usitata ei sedes sit, quam eandem poetae veteres ei assignare solebant cum dicerent: *O Venus regina Cnidi Paphique* (Horat. c. I 30), vel ut in epithalamii cuiusdam fragmento (Baehrens IV p. 256): *quae regit Idalium, quae Cnidon alma regit.*

Neque abhorret a sententia quod Patricius versibus 33 sq. exprimit:

Lydia qui cedente reliquerat arva sorore
Obvia pampineis Liber rapit agmina thyrsis.

Argumentum enim est hoc: Liber relicta Lydia, ubi ei sedes est, cultu et orgiis imprimis celebrata[2]), protinus ubi Venerem sororem sua ex sede cedentem vidit, in Thessaliam contendit. Atque cum deam progressam esse *docuere elementa favendo* (32) vel cum deam appropinquare ex mutato Veneris adventum salutante naturae statu apparet, ille cum faunorum et satyrorum grege sorori obviam it. Conveniunt autem, ubi *ditia Pactoli superat Peneius amnis Munera* (v. 35) ibique est locus, quo exsultant Veneris comites cum Liberi grege, in qua Silenus petulantia eminet. Hactenus narratio de solis fabulae personis agit.

Hic quaeras: quid sibi vult Liber in his Veneris rebus? Cur omnino poeta hunc atque huius maxime gregem inducit?

Sed hoc ipsum cum epithalamiorum scribendorum arte sequioris maxime aetatis artissime coniunctum est neque

---

[1]) Respice, quali signo poeta Naturam ornet: dicit *lactenti feta papilla,* scilicet ut matrem significet. Sic apud Claudianum rapt. Pros. I 248 *Natura parens* adest nec non illius maxime temporis hoc fuit proprium de Natura Iovis matre vel omnium rerum procreatrice dici. Qua de re plura contulit Birtius in indice Claudianeo s. v. Natura.

[2]) cf. Claud. IV cons. Hon. 603.

satis copiose instructus appareret fabularum apparatus, si Liber aut Faunorum et Satyrorum greges abessent. Testimonio est Himerii sophistae orat. I 20, quo loco res optime illustrari videtur. Est autem illa ipsa oratio nihil aliud nisi epithalamium soluto sermone dictum; egregie ibidem Himerius nos docet quomodo, si poeta esset, epithalamium institueret:

Ἔστησα γὰρ ἂν, inquit, *αὐτὴν* (sc. sponsam) *οὐ παρὰ βωμὸν Ἀπόλλωνος, ἀλλ᾽ ἐν Ἀφροδίτης ἄλσεσι χρυσοῖς κατάστικτον· ἤγαγον δ᾽ ἂν ἐκ μὲν Ἀθηνῶν τὰς Μούσας, τὰς Νηρηΐδας δὲ ἐκ τοῦ γείτονος, νυμφῶν τε χοροὺς καὶ Δρυάδων ἠχὼ καὶ Σατύρους σκιρτῶντας καὶ Πᾶνα συρίζοντα καὶ πάντα τὸν Διονύσου θίασον ἐντεῦθεν, ὅπου τὰ δρώμενα.*

Huic igitur Himerii quasi praescripto Patricius, sicut multi alii eiusdem aevi poetae, obsecutus est.

Iam autem alia quaestio oritur, cur poeta Thessaliam atque hanc potissimum regionem locum esse voluerit, ad quem fiat Veneris exitus ubique fabularum personae ludos faciant. Quod cum primo obtutu luculenter non appareat, facile cogitari potest Patricium solam ob eam causam, quod ad magis illustrandam magisque exornandam narrationem res certo loco quam amoenissimo neque a diis ipsis alieno fieri vellet, ipsum in illud omnium amoenorum locorum caput incidisse. Attamen aliud certius consilium poetam haec fingentem in animo habuisse equidem puto. Nam sicut Claudianus in epithalamii Pallad. et Celer. v. 105 sq. Veneris choragium describens minime ad arbitrium aquas Italiae Alpibus vicinae memorat, sed potius, ut indicet in illa regione, Mediolani scilicet, celebratas esse sponsorum nuptias, ita Patricius quoque Thessaliam atque Peneium flumen memorans certum ad sponsorum personas spectans consilium persecutus videtur esse.

Quid vero poeta porro de sponsis Auspicio et Aella carmine nobiscum communicat? Nam inde a versu 49 fieri videmus, ut vera, quae agenda sunt poetae, cum fictis conectantur. Hymenaeus enim, qui e Veneris coetu clam aufugerat Romam, narratur subito redire secum trahens

immane tropaeum, Auspicium et Aellam, quos inconsulta domina Venere coniugali foedere coniunxerat. Sic igitur eleganti neque inepta ratione personae epithalamio celebrandae induci videntur, quorum de vitae statu et condicione, quantum omnino possumus, haec fere imaginamur.

Auspicius et Aella, iuvenes Romani (v. 89 sq.), iam a prima pueritia a parentibus destinati erant qui matrimonio coniungerentur (v. 75). Una cum aetatibus adolescebat in iis *sanctae Palladis ardor* (v. 67); Patricius *par*, inquit, *cura animo:* scilicet litterarum cura satis in utriusque animo valuit: at defuit adhuc unum illud gravissimum, defuit princeps sponsorum cura: nesciebant Veneris ardorem, id est amorem. Nihilominus matrimonium fit. Quo facto e Roma egressi iter faciunt in Graeciam. Atque tum demum in itinere primum cognoscunt amorem, in itinere in Veneris vim incidunt. Fuerunt autem in Thessalia procul a librorum doctrina, in mediis veris deliciis atque naturae amoenitatibus. Ergo in Thessaliae Tempe poeta locum bellissimae illius fabellae esse refert, cui veras sponsorum res intexuit.

Ecce autem allegoria vel symbolica fictioni impressa species! Narrat enim poeta per se solum Hymenaeum, Calliopae filium *inconsulta Diona* (v. 59) vel *elusa domina* sc. Venere (v. 77) sponsos coniunxisse. Itaque cum res esset sine Venere, haec indignata, quod tantum ausus sit, Hymenaeum culpat, quem nimis maternos rigores vel pudicitiam amplexatum esse dicit. Nam tali more, ut addit Wernsdorfius[1]), credebatur esse Calliope, quae heroum regumque gesta et fortia facta dicebatur canere, non amores et lusus. Nunc autem, postquam Auspicius et Aella Veneris potestatis facti sunt, res quasi de integro incipit. Nunc administrantibus dea Concordia et sancta Fide foedus confirmatur et ipsa Venere duce pompa genialis instauratur, qua sponsi Romam ducantur ad verum matrimonium apud patrios penates celebrandum.

Habes carminis argumentum, quod, si in univer-

[1]) l. l. p. 486 sub 82.

sum perspicimus, optima compositione conditi carminis videtur esse.

Neque vero ea abesse a compositione videmus, quae ad inferioris aetatis consuetudinem spectant. Imprimis nostris auribus paene ridicule sonant verba, quibus poeta laudem sponsorum nullo modo omittendam carmini inserit. Sed hic ipse erat mos illius inferioris aetatis, ut carminum atque imprimis epithalamiorum poetae in laudandis atque omni modo praedicandis personarum virtutibus adeo versarentur, ut saepe nimii essent[1]). Si placet, in animum revoces illius epithalamii Laurentii (Riese, anthol. 742) argumentum, quod huic rei testimonio sit. Sic noster quidem Patricius tumidis verbis praedicat sponsorum nobile genus morumque elegantiam, qua simul divitiae ornatae fuissent (v. 63). Atque imprimis, quod iterum inferiorem poetam eiusque tempora optime detegit et quasi scholam sapit, prorsus nimia oratione laudat Patricius, quanto bonarum artium gloriaeque studio fuerint iuvenes, quos summa adulatione *puro caelo prosatam stirpem* vocat (v. 73.)

Unum addam nostro simile exemplum christiani cuiusdam carminis, quod in tali nimia laude versatur. Scriptum videmus illius carminis versu 5 (Riese, anthol. 767):

generis veneranda propago
Et meritis caeli culmina celsa pete,

quae verba magnam similitudinem praebent cum his Patricii v. 72:

quo celsa petant fastigia rerum
Semideae mentes.

Verum etiam de cetera carminis dispositione deque materiae delectu, imprimis quae ad fabularum apparatum adhibendum pertinent, certa sequioris aetatis vestigia licet persequi. Quae tamen eiusmodi ac tanta sunt, ut hinc iam vocemur ad ipsam aliorum poetarum imitationem, quae in carmine manifesto inest.

---

[1]) cf. Sidonii carm. 9 v. 299—314. Teuffel, röm. Litt. § 466, 4, 3. ed. p. 1098.

Ac primum quidem magnas quasdam similitudines inter Patricii et **Claudiani** dicendi rationem esse statuendas iam primo obtutu apparet, ita ut Patricium Claudiani exemplum secutum vel imitatum esse facile credas. Quod re vera ita se habere videbimus, si in iis quae sequuntur accuratius in hanc rem inquisiverimus.

Qua in re hoc praemonendum videtur esse quanto omnino amore et studio Claudiani carmina per totum quintum saeculum posteaque lecta a viris eruditis atque laudata sint. Imprimis autem minores illius aevi poetae Claudiani ingenio serviebant. Testimonio est carmen, quod inscribitur Laudes Herculis, cuius non solum dictionis, variarum figurarum et verborum, sed etiam totius compositionis similitudines Claudianum fontem atque exemplar confiteri vir doctus Baehrensius[1]) demonstravit. Simili vero condicione iisdem temporibus nostrum quoque epithalamium ortum esse mihi quidem persuasum est, de quo idem dici posse quod de *laudibus Herculis* nunc videamus.

Ac primum quidem, quod ad compositionem carminis attinet, Claudiani epithalamium Palladii et Celerinae maximam similitudinem praebet. Ubi simili fabulosa fictione, quae de iisdem fere personis eodem modo ludentibus agit, expleri priorem carminis partem videmus. Dicitur enim de Venere atque de eius comitibus. Enumerantur *Idaliae famulae* (v. 8), *triplex Gratia* (v. 9), *pennati pueri* (v. 10), quorum cum *Dryadibus procacibus* (v. 17) et cum *lascivis Faunis* (v. 20) ludi iocique describuntur. Eadem fere apud Patricium observamus. Unam hanc exempli gratia attingam similitudinem, quae inter hos versus extat:

Claudiani v. 20:

Flammea lascivis intendunt spicula Faunis

(scilicet pennati pueri) et Patricii v. 39:

Corniger hos (sc. Faunos) stimulis implet puer.

Utroque in versu idem sensus inest. Iam vero quantopere alterum epithalamium alterius indoli respondeat, inde

[1]) cf. Fleckeisenii annal. philol. vol. 105 (1872) p. 52 sq.

elucet, quod eadem fere dicendi ratione sponsorum laudes cum fictis, quae antecedunt, et hic et illic conectuntur. Dico versum Claudiani epithalamii 21:

Cum subito varius vicina clamor ab urbe,

quocum conferas Patricii epithalamii versum 49 sq.:

Hic subito volitans sparsas rumore per umbras
Fama movet mentes incertaque murmura portat.

Similitudo minime potest negari, praesertim cum in utroque epithalamio sicut antecedentes versus in solis fabularum personis pingendis versentur, ita insequentes versus de eadem re agant: de Hymenaei persona narrationi inserenda. Porro autem in eo Patricii epithalamium cum Claudiani consentit, quod Venus Hymenaeum verbis appellat atque pariter fere monet, ne maternae pudicitiae nimis studeat. Legimus apud Claudianum (v. 45 sqq.):

maternis numquam satiabere donis
Dedite musarum studio nimiumque parenti
Aemule

et in nostro epithalamio (v. 81 sq.):

nimium studiose pudoris
Maternos nimium, puer, amplexate rigores.

Ubi etiam latius patet consensus. Etenim apud Claudianum quoque primum solus Hymenaeus rem gesserat, postmodo accedit Venus operi faciendo.[1])

Verum si locos modo memoratos accuratius comparamus, ne id quidem nos fugiet verbis inesse aliquid, quod ad consensum quendam dictionis pertineat. Sed tales et dictionis aut variarum figurarum et elocutionis similitudines etiam plures ostendere possumus. Referuntur autem eae omnino ad Claudianeam dicendi rationem neque in hoc solo Palladii et Celerinae epithalamio reperiuntur.

Iis quae sequuntur satis multa exempla afferam, quae praeter minores ad usum singulorum rariorum verborum pertinentes similitudines imprimis notanda mihi videntur. Conferas haec:

[1]) cf. Birtii indicem Claudianeum s. v. Venus, ubi plura de hac re invenies.

Patricius:	Claudianus:
v. 2 *imbre maritatum*	rapt. Pros. II 89: et glebas foecundo *rore maritat.*
v. 3 *Ipsa quoque aetheria*	de bello Get. 50: *Ipsa quoque interius.*
v. 4 *nova germina*	rapt. Pros. I 129: *nova* curvavit *germina* frontis.
v. 6 *Latonae* geminum *numen*	Cons. Ol. et Prob. 184: *numinibus Latona* suis.
v. 10 *comitata* sororibus *exit.*	laud. Stil. I 80: *comitata* parentibus *exit.*
ibid. *Idaliis sororibus*	nupt. Hon. 100: *Idaliae sorores.*
v. 12 *faciles* cultibus *hortos*	l. Seren. 54: *terra* frugum *facilis.*
v. 17 *nitentia membra*	nupt. Hon. 283: *membrisque micantibus.*
v. 19 *Speque* sua *maior*	Cons. Stil. III 6: *Spe maior.*
v. 31 *Protinus* ut *liquidum*	Cons. Ol. et Prob. 272: *Protinus* et *liquidi.*
v. 34 *pampineis thyrsis*	Cons. Hon. IV 603: *pampineos thyrsos.*
v. 44 Nympham retro cedentem *vestigat et olim*	Cons. Mall. 7: in vitam blande *vestigat et ultro.*
v. 47 blanda *micans oculis*	ep. Pallad. 41: dulce *micant oculi.*
v. 47 sq. *libera turba*	Fescennina XIV v. 31 sq.: *turba libera.*
v. 56 *per liquidas auras*	in Rufin. I 55: *liquidas per auras.*
v. 74 *teneros aevi*	Cons. Hon. IV 424: *tenero aevo.*
ibid. *puerile sonantes*	in Eutrop. I 261: *plorabile sonat.*
v. 79 *immane tropaeum*	nupt. Hon. 117: *immane tropaeum.*
v. 88 Ipsa *pharetratos* urget dea Pronuba *fratres*	nupt. Hon. 72: Mille *pharetrati* ludunt in margine *fratres.*

Quorum locorum in multis hoc certe respiciendum est, quod maxime imitationem confirmat, singula verba congruentia pari versus sede posita apparere. Neque enim negari potest talia potissimum hexametri peculiaria initia vel exitus sicut: *Protinus ut liquidum* (v. 31) vel ... *immane tropaeum* (v. 79) facilius legentium in memoria haerere, ita ut ea ne ab imitatione quidem multo absint.

Hactenus haec quidem de Claudiano, cuius exemplar nostro poetae ante oculos versatum esse satis evicisse videor.

Verum praeter Claudianeam imitationem in carminis naturam condicionesque accuratius nobis inquirentibus obviae sunt insignes cum **Dracontio** similitudines eaeque in ea maxime nostri carminis parte, qua monstruosa illa fabulis et deorum dearumque imaginibus exstructa fictio continetur. Easdem imagines eadem positione eodemque delectu in Dracontii epithalamio, quod incipit verbis *Egregii iuvenes*[1]) a poeta induci videmus. Sic inter Veneris comites pariter atque apud Patricium apparet Amor. Dicit Dracontius v. 57 l. c.: *venit aliger ille ... Impubes*, Patricius ecce habet (v. 24): *Aliger ... puer*. Deinde apud utrumque una cum Gratia rarior dea Voluptas in medium profertur cf. Drac. v. 61 sq. et Patr. v. 14 sq.

Neque ceterae quidem fabulae personae, quas praeterea ibi Dracontius affert, nostro epithalamio desunt. Et Fides sub finem nostri quoque carminis adest (v. 89), Amores ad moenia Romae dirigens, et ipsa quoque Petulantia v. 48 toto coetu fremere dicitur. Huc accedit aliud, quod nobis persuadere videtur, ut inter utrumque poetam conexum quendam agnoscamus. Nam uterque poeta in his comitibus enumerandis de fescennino quodam cantu verba facit. Patricius v. 21: *Siren iterabile carmen ad auras ducit.* Apud Dracontium v. 69—71 Pan et Bacchae *fescenninos fremitus* faciunt. Statim sequitur, id quod certe mirum in modum congruit, apud utrumque poetam pariter Veneris introductio et ita quidem,

[1]) Baehrens, P. L. M. V p. 150.

ut curru columbis iuncto vehatur. cf. Drac. v. 72: *Adfuit interea Cypris subvecta columbis* eqs. et Patr. v. 22: *Ad iuga blanda sedet niveas moderata columbas* eqs.

Iam autem ut cum iisdem comitibus Venus apparet, ita, quod idem maxime sub oculos cadit, Liber non modo eadem condicione, sed etiam paribus fere verbis inducitur. Compares Dracontii versus 67 sq.:

Liber pampineis ornatus fronde corymbis
Intrat et uviferos vibrat super agmina thyrsos

et Patricii versum 34:

Obvia pampineis Liber rapit agmina thyrsis.

Similitudo reliquis etiam manifestior.

Verum etiam de singulorum verborum usu in ea re describenda similitudines inter Patricium et Dracontium investigare licet. Sic conferas illud Patricii v. 24: *Aliger obsequio stipat puer* et Dracontii illud similiter eodemque in rei contextu dictum v. 60 l. l.: *Ibat in obsequium.* Nempe idem in eo cognoscimus, quod Patricius v. 48 *Turba favet totoque fremit* dicit, cum Dracontius similiter habeat v. 98 l. l.: *Illic turba fremit.* Atque si Patricius v. 30 de Venere dicit: *astris adremigat*, rursus ad Dracontium vocamur, qui versu 79 in eadem re describenda dicit:

Cypris iubet ire iugales,
Remigat ammotis pinnarum plausibus ales.

Denique conferas haec:

Patricius:	**Dracontius:**
v. 13 *It* natura *comes*	Medea v. 162: *It comes*
v. 22 *niveas* moderata *columbas*	ib. v. 156: *niveas* adstare *columbas.*
v. 34 Obvia *pampineis* Liber rapit agmina *thyrsis*	ib. v. 275: Ebria *pampineis* miscens vestigia *thyrsis.*
v. 70 *praecordia flammis*	ib. v. 222: *praecordia flammas.*

Quae cum ita sint, si ex his modo dictis aliquid licet concludere, putandum est vel Patricio epithalamium Dracontii notum fuisse vel Dracontio Patricii epithalamium. Equidem cum multis aliis causis, quas in universum ex car-

minis virtutibus sumpsi, commotus, tum propter imitationem Claudianeam, quae Claudiani aequalem vel virum illa aetate non multo minorem postulare mihi videtur (cf. epithalamium Laurentii et laudes Herculis), paene existimem Patricii epithalamium iam tempora vidisse ante Dracontium atque huic poetae ante oculos fuisse, ita ut ex eo flores carperet. Atque huic sententiae confirmans accedit argumentum, quod ex ipsa utriusque poetae elocutione haurire legenti mihi videbar. Nam similia, quae apud utrumque poetam extant verba, si inter se comparantur, profecto equidem facere non possum, quin Patricii verba speciem ferre πρεσβυγενείας fatear. Facilius enim atque magis ad naturam suam fluere videntur. Habent quidem tales observationes semper aliquid in controversiam deductum neque constant nisi uniuscuiusque per sensum. Sed quemcumque in modum haec se habent — caveamus enim ne longius in coniciendo procedamus —, unum hoc constat, quod gravissimum: certum inter Patricium et Dracontium conexum esse agnoscendum. Verum hinc iam sumitur certum ad Patricii carminis fidem firmandam argumentum.

Prorsus sequitur hinc, id quod iam supra probare conati sumus, nostrum carmen minime fetum esse Caspari Barthii, quippe qui illud Dracontii epithalamium numquam aspexerit, quippe cuius temporibus omnino profana Dracontii carmina ignota iacuerint. Nam nostro demum saeculo primum ea ex bibliothecae Reg. Neapolitanae oblivione in lucem protracta esse constat.[1])

[1]) Postremus Ianus Parrhasius [1470—1533] vetusti codicis Dracontiana carmina minora continentis apographon conficiendum curavit; quod apographon nunc in museo Borbonico adservatum initio huius saeculi Cataldus Janellius indagavit (Baehrens, P. L. M. V p. 126). Ceterum ad rem nihil refert, quod nuper Manitius (c. Mus. Rhen. XXXXVI p. 493) Dracontiana carmina minora medio aevo non plane ignota iacuisse statuit; nam id quod nobis gravissimum, Barthium ea ignorasse, certe hac opinatione non tangitur; praeterea haec Dracontiana vel ipso medio aevo inde a Carolina aetate cum studio lecta esse effici non potest idoneis argumentis.

Caput II

Quoniam igitur de Barthii fide dubitationes vix iam possunt admitti, restat ut rem decidamus accuratius disceptantes, quatenus illius de Patricio sententiam, quem *scriptorem utique veterem nec improbum*[1]) appellat, nobis quidem sequi liceat.

Etenim si omnium, quae adhuc attulimus, argumentorum summam facimus, nihil obstat quin Barthii prius illud *scriptorem utique veterem* probemus epithalamiique originem ad quintum saeculum revocemus, quibus maxime cum temporibus omnia illa adhuc in medium prolata indicia optime consentiant. Quid quod ea aetate nomina Patricii et Auspicii usitatiora fuisse vidimus? Quid quod ea aetate, qua Claudiani praeclaro exemplo mentes hominum ad litterarum ac poesis studium rursus et tum quidem postremo inflammari videbantur, poetas hoc potissimum epithalamiorum poesis genere delectatos esse scimus?

Atque ad eandem aetatem maxime talem, quae in nostro carmine occurrit, Claudiani imitationem optime quadrare cum per rerum, quae tunc erant, naturam intellegitur tum plurimis aliorum carminum exemplis satis confirmatur.[2])

Denique neque omnino ab inferioris aevi indiciis neque a vitiis quidem illius aetatis alienum esse Patricii epithalamium etiam clarius apparebit, si ad ceteras carminis proprietates per singula tractandas accesserimus.

---

[1]) Adde Wernsdorfii sententiam (P. L. M. IV 2 p. 472): *Nec infitiabitur, qui leget* [sc. Patricii epithalamium], *ingenium poetae non invenustum et dictionem satis splendidam in eo apparere* et Baehrii (Geschichte der röm. Litt. 2. Aufl. p. 271): *Es ist von Seiten des Inhalts wie der Sprache nicht ohne Werth und gehört wohl noch in ziemlich gute Zeit.*

[2]) Qui plura de hac re desiderat, Birtii Claudianeam editionem exspectet, quae propediem in Monumentis Germaniae antiquissimis prodibit; ubi haec omnia satis commode pertractata inveniet.

Quamquam ad vitia illa etiam aliorum poetarum nimia imitatio referenda videtur esse, quae nimirum tanta est, ut inde etiam plura de Patricio atque de eius ingenio doctrinaque amplissima concludere possimus. Nempe sicut illum Patricium, quem Symmachus semel atque iterum memorat, e gente non humili oriundum et doctum hominem fuisse ex Symmachi epistula scimus, ita ne nostrum quidem Patricium existimare debemus nisi talem, qui secundum nobilium Romanorum morem omnium litterarum scientia atque imprimis veterum poetarum studio imbutus fuerit. Quod quicumque leget epithalamium facile animadvertet. Nam praeter subtilissimam fabularum scientiam praecipue miram veterum scriptorum notitiam observamus, inter quos quidem Claudianus quasi fons, unde Patricii musa vitam hausit, principem obtinet locum.

Iis quae sequuntur in Patricii dictionem elocutionemque accuratius inquirere liceat, quo aliorum poetarum vestigia, quantum fieri potest, aperiamus atque persequamur.

Primum quidem pauca videntur praemittenda.

Omnino enim inferiorum poetarum proprium fuit imitationem nobiliorum poetarum ita non spernere, ut etiam ad verbum alienos ac praecipue aureae latinitatis flosculos suae orationi insererent. Sed Patricius etiamsi satis plerumque feliciter neque interdum sine ingenio alienis fontibus usus sit, tamen in universum haec ratio imitandi nimia tantaque videtur esse, ut eam quasi scholam sapere atque siccarum mentium perfugium esse paene dicamus. Invenimus enim apud Patricium praeter Claudiani, quae satis explanavimus, vestigia Vergilii, Ovidii, Statii, Tibulli, Propertii, Catulli, Lucretii, Silii, Nemesiani, Calpurnii.

Qua in re ne id quidem neglegendum est, multa, quae similia apud alios reperiuntur, ad ea esse referenda, quae post poetae alicuius Augustei aevi exemplum semper a poetis repetita quasi tradita heredia perducebantur quaeque cum usurpabant poetae inferiores non iam sentiebant imitationem. Quod certe accidit huic quoque Patricio, quem multa lectione exercitum hominem duci oportet. Quapropter

inscium eum nonnulla ad alius poetae exemplum scripsisse facile crediderim.

Verum id spectat imprimis ad eos poetas, quorum libri diuturna fere consuetudine tum terebantur. Inter quos principem obtinet locum **Vergilius.**

Sed iam ipsum epithalamium perlustremus, ubi noster vestigia Vergilii aliorum ingressus sit, indagantes.

Imitatur autem Vergilium v. 18:

Purpureas croceo suras evincta cothurno

qui ad verbum fere depromptus ex Aeneidis libri I v. 337:

Purpureoque alte suras vincire cothurno,

vel Buc. VII v. 32: suras evincta cothurno.

Item v. 42 verba *pendebat cantharus* Patricius e Vergilio sumpsit, qui Buc. VII 17 de eodem Sileno eadem insuper versus sede dicit: *pendebat cantharus.*

Item illud v. 69:

labor otia nescit Improbus

ad Vergilii exemplum dictum esse iam apparet ex metricae verborum sedis similitudine. cf. Georg. I 145:

labor omnia vicit Improbus.

Atque etiam dicta ut *faciles Fauni* (v. 37) vel *Romae advertisse pedem* (v. 57) Vergilium sapiunt, qui dicit Buc. III 9: *faciles Nymphae* et Aen. VI 386: *pedemque advertere ripae.* Postremo talia ut hoc v. 21: *aetherias ad auras* vel illud v. 91: *ante ora suorum* spectant ad ea dicta sollemnia saepiusque a poetis usitata, quae supra pluribus verbis memoravimus. Exemplum dedit Vergilius cum dixit et Aen. IV 445 vel Georg. II 291: *ad auras Aetherias* et Aen. VI 308 (et saepius): *ante ora parentum.*

Huc fortasse pertinet etiam illud v. 39: *aethera clangor verberat,* quod idem Patricius a Vergilio didicit; nam cf. Aen. V 140: *ferit aethera clamor* et adde illud quoque: Aen. XI 756: simul *aethera verberat alis.*

Iam autem **Ovidium** apud Patricium persequi licet. Huic poetae illa Sileni ebrii descriptio debetur v. 41:

Ecce pater pando recubans Silenus asello.

Habet Ovidius art. am. I 543:

Ebrius ecce senex pando Silenus asello
Vix sedet

et similiter met. l. IV 26:

Quique senex ferula titubantes ebrius artus
Sustinet et pando non fortiter haeret asello.

Quod pluribus placuisse videtur: nam etiam Dracontius eum sequitur dicens (epithal. Joan. et Vit. 38):

Ebrius interea nutet Silenus asello.

Deinde illud vers. 53: *nec primus in agmine toto est* nescio an inscius Patricius expresserit ex illo Ovidiano hexametri exitu (met. II 449): *nec toto est agmine prima.* Iam vero Ovidianum fontem sapiunt haec: v. 38 *sub utroque deo,* quocum conferas met. I 338: *sub utroque Phoebo,* et vers. 55: *inobservata ferentem vestigia,* quocum cf. fast. I 425: *vestigia furtim fert taciturna,* tum vers. 61: *generosae stirpis alumnos,* quocum cf. met. II 633: *divinae stirpis alumno.* Hoc quidem dictum iam magis minusve ad usitatiores imitationes spectat, quippe cum apud alios quoque reperiatur, ut apud Silium; cf. I 106: *Cadmeae stirpis alumnos.*

Quod idem dici potest de his vers. 75 dictis: *a primis cunis* et *fausto omine,* quae Ovidii exemplo debentur; cf. met. III 313: *primis cunis educat* et met. VI 448; IX 785: *fausto omine.*

Sed haec de Ovidio hactenus; vocamur dehinc ad **Statium.** Cuius de illo loco Theb. II 261:

In regem conversi omnes formidine prima
Mox audisse negant

Patricius nempe cogitabat, cum scriberet v. 53:

Atque audisse putat.

Nec minus illud v. 28: *mitissima divum* ad Statium spectare videtur, qui talia amat; cf. Silv. III 3, 208: *mitissime patrum;* Silv. III 4, 25: *mitis deus,* quocum hoc conferas, Silv. IV 6, 96: *fortissime divum.*

Qua in re hexametri clausula eodem modo effecta maxime imitationem indicat. Quod idem valet de illo v. 74

dicto: *nec adhuc puerile sonantes.* Nam Statius similiter habet Silv. III 5, 25: *et adhuc iuvenile vagantem.*

Deinde e Statio hausta videntur haec: v. 54: *Mane sub Eoo,* quocum cf. Theb. IX 605: *Rore sub Eoo.* Item v. 45: *festino voto,* quocum cf. Theb. VI 75: *Festinus voti.* Item v. 66: *studiis Helicone petitis,* quocum cf. Silv. IV 6, 11: *medioque Helicone petitus Sermo.* Denique illud v. 31: *liquidum Phoebi iubar*, quocum cf. Silv. II 2, 43: *et Phoebi tenerum iubar.*

Hoc simul exemplo id confirmatur, quod supra contendimus, quaedam dicta ex imitatione vetustiorum poetarum in exeuntis antiquitatis poesi increbuisse. Nam etiam in carmine quod inscribitur: de die occiduo (anthol. Lat. ed. Riese 238, 1) legitur: *nitidum Phoebus iubar.*

Iam vero quae cum Tibulli, Propertii Catulli dicendi rationibus reperiantur similitudines prolaturus facere non possum, quin fatear nonnulla ex iis, quae sequuntur, cum cautione a me prolata et recipienda esse.

Etenim tales ut hae verborum coniunctiones: *tenui veste* (v. 16), *levi curru* (v. 28), *puro caelo* (v. 73) etsi **Tibullo** deberi videantur, quippe qui in eodem rei contextu ita dicere amet — cf. I 10, 61 de puella: *tenuem rescindere vestem* et IV 1, 130 convenienter de deo: *Iuppiter ipse levi vectus curru* et IV 1, 10: *puro testantur sidera caelo* —, tamen facile intellegitur omnino talia poetis placuisse, ita ut exempli gratia *purum caelum* saepius occurrat; veluti Calpurnii ecl. I v. 77: *puro nox iam vicesima caelo.*

E Tibullo deinceps expressit Patricius illud v. 46: *dum spes alit;* cf. Tib. II 7, 3: *spes alit.* Item ad Tibulli exemplum compositum videtur v. 81: *nimium studiose pudoris,* quocum cf. IV 8, 5: *nimium, Messala, mei studiose.* Atque etiam ad Tibulli dicendi rationem spectat v. 48: *fremit petulantia coetu,* quocum cf. IV 1, 45: *fremat inconstantia vulgi.*

Neque **Propertii** quidem vestigium deest: dicit Patricius v. 69: *spicula indere pectoribus,* quod similiter Propertius expressit dicens II 10, 1:

Spicula quot nostro pectore figit Amor.

Verum quidem de illis verbis v. 30: *Zephyrisque remissis Mulcet agros,* quae certe ad bona exempla Patricius composuit, nescio quem imprimis secutus sit. Nam et Propertius simile habet dicens IV 7, 60:

Mulcet ubi Elysias aura beata rosas

et Ovidius met. I 108:

placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri flores.

Catullum vero hoc imitatur v. 13: *lactenti feta papilla.* Eadem enim versus sede scriptum videmus Cat. c. 64 v. 69: *lactentis vincta papillas.* Hic aliquid addere liceat, quod ad nostri epithalamii aetatem firmandam haud parvi momenti est. Nam cum in universum mirum videri potest, quod Patricius, quem in Vergilio, Ovidio, aliis imitandis minime parcum cognovimus, maxime Catullum ignoravit, tum quod unum illum florem, quem Catulli horto debet, ex illo potissimum carmine 64 carpsit, optime hoc cum eo consentit, quod de Patricii aetate adhuc statuimus quodque de Catulli carminum memoria, quae inferioribus temporibus fuerit, notum est. Nam sicut Catulli cetera carmina quinto saeculo minus lecta videntur esse, ita sola carmina 61—68 maiora etiam tunc magis in hominum manibus fuisse propterea verisimillimum est, quod prae ceteris iam inde ab Augusti aevo veterum studiis obvia fuerant; id quod maxime, ut etiam nostri fortasse Patricii usu confirmatur, ad carmen 64 pertinet[1]).

Vides quam bene omnia consentiant, si Patricium quinto saeculo addicimus.

Sequitur porro **Lucretius,** quem quinquies Patricius videtur imitatus esse.

Ac primum cum fingeret versus 26 sqq.:

---

[1]) Itaque valde probanda est Birtii sententia, qui De re libraria p. 291 sq. carmen 64 non solum coniunctum cum ceteris carminibus, sed etiam separatim per se singulo libro pervulgatum esse iudicavit. cf. etiam Riesium ad Catull. p. XXXIII.

Arrident late toto revolantia mundo
Sidera blandito dominam venerata sereno
— — — — — — — — — —
Ventilat afflatu caelum Zephyrisque remissis
Mulcet agros,

certe Lucretii notissimum illum de Venere locum in animo habuit, qui extat lib. I v. 6 sqq.:

Te, dea, te fugiunt venti, te nubila caeli
Adventumque tuum; tibi suaves daedala tellus
Immittit flores; tibi rident aequora ponti
Placatumque nitet diffuso lumine caelum.

Ceterum haec fictio, quae est de natura blando quasi vultu Veneris adventum salutante, poetis antiquis grata neque aliena. Etiam Claudianus idem habet nupt. Hon. 184 sq.:

adventu Veneris pulsata recedunt
Nubila; clarescunt puris Aquilonibus Alpes.

De his deinceps Patricii verbis v. 15:

invergit florem nascentibus herbis

incertum est an ad Lucretii exemplum et ipsa composuerit; similiter enim Lucretius de anno dicit II 33:

anni Tempora conspergunt viridantes
floribus herbas.

Verum certe Lucretianam elocutionem haec sapiunt v. 65: *molimine magno;* cf. Lucret. lib. IV v. 899 (et saepius): *magno molimine.* Nec minus in hoc dicto v. 9: *per aperta mundi* Lucretii exemplum desideratur: lib. VI v. 817 legitur *in aperta caeli.*

Ergo Patricio Lucretii carmen notum fuerit necesse est. Verum hinc sequi videtur, ut medio quidem aevo hoc epithalamium ortum esse non possit; nam certe contendunt viri docti illo aevo Lucretii carmen iacuisse ignotum.[1])

Iam vero ad **Silium Italicum** vocamur. Hic memineris quaeso etiam Silii Italici Punica per medium aevum ignota iacuisse statui solere. Rursus igitur confirmatur ne illius

[1]) cf. Jessen in Philologi tom. XXX p. 236.

quidem aevi fetum esse epithalamium, cuius poetae Silium notum fuisse videbimus. Contra maxime quinto saeculo, ad quam aetatem referri carmen volumus, Silium in hominum manibus fuisse atque frequenter lectitatum ex Vibii Sequestris libro scimus, quo scriptores illis temporibus praecipue lectitati significentur.

Igitur quae Silii Italici sint expromendum est.

Ac primum illam Luciferi significationem v. 6: *Cythereïus ignis* non sumpsit Patricius aliunde quam e Silio, qui l. XII v. 247 dicit: *Cythereïus ignis.*

Neque deinceps Silianum fontem occulit v. 40: *responsant tympana pulsu,* quocum cf. XVII 19: *resonantia tympana pulsu;* aut v. 83: *instaurant pompae honorem,* quocum cf. III 218: *Instauratus honos;* aut porro v. 90: *repetant rumore Penates,* quocum cf. XIII 386: *repetens extrema Penates.*

Deinde in illo quoque dicto v. 34: *rapit agmina thyrsis* fortasse Silianum aliquid cognoscere licet. Nam saepius eadem versus sede eodemque rhythmo apud Silium legitur: *rapit agmina;* cf. VII 116: *rapit agmina cursu;* X 104: *rapit agmina natos.*

Item ea, quam de gloria Patricius pronuntiat, sententia e Silio manasse videtur; Patricius v. 70: *urit praecordia flammis Gloria* et Silius cum gloriam facem appellat honestae mentis VI 332: *traxitque virum fax mentis honestae Gloria,* tum prorsus similiter nostro dicit XVII 294: *decorisque urebat pectora flammis.*

Quod cum alias quoque invenerimus ut apud auctorem Herc. Oet. v. 620: *urit miserum gloria pectus,* de eo idem videtur valere, quod iam supra de quibusdam a poetis inferioris aetatis saepius repetitis dictionis flosculis diximus.

Ceterum maxime talibus ex locis in universum luculentissime apparet, quam bene nostri epithalamii dictionis indoles ad illius, quam statui volumus, aetatis effigiem quadret.

Iam restat, ut complures cum **Nemesiani** et **Calpurnii** dicendi rationibus similitudines breviter illustremus.

Nemesiani ad exemplum Patricius composuisse videtur illam temulenti Sileni iocosam descriptionem v. 43:

Vina per os hirtaeque fluunt compendia barbae.

Similia enim Nemesianus de satyris refert; cf. ecl. III 54:

Ebibit inque umeros et pectora defluit umor.

Atque eo facilius putem illum Nemesiani locum Patricio talia ficturo ante oculos versatum esse, quia etiam argumento insequentium versuum ad Nemesiani exemplum vocamur. Nam et apud hunc (cf. v. 56) et apud Patricium statim sequitur illa de Nymphis Satyrorum amorem fugientibus fictio. Patricius v. 44 sqq.:

E numero comitum Veneris vestigat et olim
Captus amore petit festino Chlorida voto.
Nympha retrocedens dum spes alit inque furentem
Blanda micans oculis refugit pede

et Nemesianus:

raptantur amantes
Concubitu Satyri fugientes iungere Nymphas.

Praeterea si placet etiam haec Patricii verba v. 47: *libera lusu Turba favet* compares cum his Nemesiani v. 55:

Omnia ludus habet cantusque chorique licentes
Et Venerem iam vina movent.

Deinde Calpurnio debentur haec, quae ad verbum ex eo deprompsit Patricius v. 7: *Iuppiter ipse parens;* cf. ecl. IV 93: *Iuppiter ipse parens;* — atque v. 1: *satus aethere sudo,* quod eadem versus sede extat in ecl. I 33: *satus aethere Faunus.*

Has vero imitationes attigisse sufficiat; satis inde quantum legerit Patricius quantaque litterarum scientia fuerit sequitur.

Verum quamvis Patricius imitationes cumulare amet, tamen plerumque non parum artificiose neque ita, ut offendant, eas suae orationi inserit; vix igitur erit quisquam quem carmen legentem expolita quaedam dictionis facilitas coniuncta cum bona concinnitate fugiat. Denique, ut ita dicam,

animam ducere atque vivere videtur carminis elocutio. Quod vix ita se habere posset, nisi etiam propria, quam adhibet poeta, dictio in se concinna atque satis vivida appareret.

Quod ut melius cognoscamus, paucis deinceps exemplis hanc Patricii elocutionem propriam illustrare conemur.

Concinnitatem vero elocutionis servat Patricius nonnullis antiquissimae latinitatis flosculis usus, qui ab nobilioribus poetis usurpari solent.

Sic habet illud Vergilianum *olli* v. 66 [cf. Verg. Aen. V 197, VII 505, XII 788].

Deinde dativus *lusu* extat v. 47, cuius licentiae usum iterum cum Vergilii auctoritate sibi videtur concessisse [cf. Verg. Aen. III 292 dat. *portu;* Aen. III 541 dat. *curru;* Aen. III 692 dat. *sinu*].

Huc pertinent etiam hae Patricii formae: v. 64 *tentàrat* et v. 75 *sociarant* [cf. Sil. Ital. XVII 109 *sociarant*]; de quibus formis contractis cf. L. Scheffler, De perfecti in „*vi*" exeuntis formis (Marb. 1890) p. 33 sqq., 39.

Denique vocem *mysteria* v. 87 Patricius Ovidiani illius loci memor: de art. am. II 609 *Veneris mysteria*, adhibuisse videtur.

Ceterum semper id est retinendum, quod quo magis aliquod carmen ipsa certi aevi vitia prae se ferre videmus, eo facilius id huic aevo addicimus. Itaque si in Patricii ceteram elocutionem inquirere placet, ne mireris de vitiis tantum verba nos facere videns. Scilicet quod ad virtutes attinet, quinto saeculo non multum earum invenitur, nisi quae sunt in ipsa vetustiorum imitatione; qua quidem nostrum valere satis vidimus.

Atqui ad inferioris latinitatis vitia haec referenda est proprietas, quam breviter attingamus. Nam illius aevi poetas pro simplicibus composita usurpare verba amasse constat; quod ne Patricium quidem vitavisse satis docent exempla ut v. 26 et 85 *revolantia* et *revolans*, v. 50 *prosata*, in quibus praefixum nullam vim habet. Vox *prosatus* pro simplici *satus* apud inferiores poetas crebrius occurrit nempe

ob eam maxime causam, quod optime ad hexametri structuram accommodata esse videbatur. Itaque eam semper eundem locum versus, quintum pedem, obtinere videmus; cf. Nemesiani ecl. III 63: *Iove prosatus ipso*; Ausonius XXV 4, 1 (Schenkl): *stirpe et lare prosata Rhenum;* anthol. Lat. 720 (Riese) v. 7: *placido dea prosata mundo*; Carm. contra paganos v. 74 (Baehrens, P. L. M. III p. 290): *Iove prosata summo.*

Huc aliam de compositis proprietatem addere liceat. Nam hoc idem inferiora tempora indicat, si pro hoc: *ad astra remigat* Patricius dicit: *astris adremigat* (v. 30) compositum formans insolentissimum, quod alias non invenitur nisi in latinitate inferiore apud Florum; cf. I 18, II 8, III 7: *Cretes portibus adremigaverunt.*

Iam vero quam exiguam vim praefixa compositorum verborum in Patricii lingua habuerint, etiam ex alio exemplo elucet. Dicit poeta v. 31 de Phoebi iubare: *ore recussit* neque alius intellegitur sensus quam: iubar ore refulsit. Atqui vox *recutere* rara est, quae non nisi in posteriore latinitate reperitur; cf. Augustini doctrin. christ. II 40: *Christi recutiens iugum*; Cl. Mar. Victor. II 265: *luce recussa.* Itaque Patricius sui aevi illam laxam consuetudinem secutum omisso praefixo *per* videtur scripsisse *recussit* pro usitatiore *repercussit*, quod in tali contextu saepissime occurrit apud vetustiores poetas; cf. Verg. Aen. VIII 23: *lumen sole repercussum*; Ovid. met. II 110:

Clara repercusso reddebant lumina Phoebo.

Quamquam ne tantam quidem insolentiam Patricio addicere opus est. Nam egregie Birtius ad defendendam vocem Patricii fontem, Claudianum, me arcessere iussit. Qui in eodem rei contextu saepius vocem *retundendi* adhibuit; cf. Gesneri verba (Claud. XXVIII v. '302 ad vocem *rettudit)*: „Solet Claudianus illo verbo praesertim de lucis radiis uti, cum illi, ut sagittae obtusae, minus sint penetrabiles.“ Exempla addam haec: Claud. XXVIII 21: *nec radios humili statione retundunt* [Birt v. l. recondunt]; item I 23: *fratre*

(i. e. sole, lunae fratre) *retuso* juxta vocem *retuso* ecce traditum est *recusso*, quod optime Patricii locum sustentat.[1])

Claudianus igitur nostro sicut tam multis aliis etiam hoc loco exemplum dedit neque plus habet molestiae, si Patricius pro verbo retundendi usurpavit verbum recutiendi haud sane diverso sensu.

Porro autem alia quaedam dicta extant, quae sive omnino insolentia sive ab aureae latinitatis sermone aliena appareant. Attamen, quod iam hic addere iuvat, eorum nihil invenitur adeo offendens, ut carminis fides labefiat.

Rarissimam igitur speciem haec praebent vocabula v. 21: *iterabile* et v. 71: *intemerabilis*. Talia autem adiectiva, quae desinunt in *ilis* vel potius in *abilis*, maxime inferioribus latinitatis temporibus valde increbuerunt atque imprimis a poetis usurpata sunt, quippe quae facilem atque iucundum hexametri exitum efficere viderentur. Exemplo afferam Ausonium, qui permulta magna ex parte e suo ingenio primo nata exempla obfert. Talia sunt: immaculabilis, potabilis, contrectabilis, vibrabilis, transmeabilis, oblectabilis, similia.[2]) Itaque nostro quoque poetae adiectiva hoc modo formata iucunda fuisse videntur. Attamen non prorsus sine auctoritate Patricius haec *iterabilis* et *intemerabilis* formavit. Nam alias quoque quamvis raro reperiuntur. Dicit Tertullianus adv. Marcel. II 28: *Iterabilem iniuriam facere* et Claudianus Mamertus de statu animae I 3: *divinitas intemerabilis.*

Deinde rarissima vox est v. 77 *Calliopeïus*, quae tamen praeter hunc locum etiam extat apud Firmicum math. VII 25: *musici Calliopeïi.* Sicut autem Patricius supra v. 6 Veneris stellam *Cythereïum ignem* significaverat, ita non tantum aberat, ut Calliopae filium pariter formato adiectivo usus diceret *puerum Calliopeïum.* [cf. etiam v. 35 *Peneius amnis.*]

[1]) Equidem vocem *recusso* et illo supra memorato Cl. Marii Victoris loco [*luce recussa*] et Patricii hoc exemplo satis probatam existimo, quam ut I 23 in textum recipiant, Claudiani editoribus commendare non dubito.

[2]) cf. Auson. ed. Schenkl p. 286.

Ceterum veteres poetae in dubio versantur de Hymenaei matre. Consentiunt eum e Musa natum dicentes. Sic Claudianus ep. Pall. 31 *Musa genitum* omnino eum appellat. Calliopae filium dici praeter nostrum locum ab Asclepiade inveni in schol. Pind. Pyth. IV 313 et schol. Vatic. Eurip. Rhes. 892, ubi Apollo et Calliope parentes significantur. Contra Magnetis et Calliopae filius Hymenaeus dicitur apud Suidam s. v. *Θάμυρις*, quod idem Cornelius Balbus apud Servium ad Aen. IV 127 censere videtur. Alii ut Catullus (61,2) et Nonnus (33, 67 sq.) Uraniae esse dicunt, alii Terpsichorae; cf. Proclum apud Photium Bibl. p. 321 Ann. 21 (Bekk.) et Alciphronem epist. I 13 et Tzetzem Chil. XIII 599.

Singulariter deinceps, non tamen inepte dicta sunt haec:

v. 2: *vegetabat spiritus orbem,*
v. 29: *ventilat afflatu caelum,*
v. 36: *aquis stagnantibus aurum.*

Ac primum in illo v. 2 spiritum recte intellegit Wernsdorfius Zephyrum, ventum vernum, affertque Pentadii similem locum (eleg. de adv. ver. 1): *Zephyrisque animantibus orbem.*

Vox *vegetare* apud Gellium, Ausonium, Prudentium alios reperitur. Fortasse autem Patricio haec fingenti in animo erat illud Apuleii (de mundo 11): *Spiritus, qui animalia omnia vitali et foecunda ope vegetat*, nisi forte omnino totum locum (vv. 3—5) ad Pervigilii exemplum composuit poeta. Ibi quoque de ipso *spiritu* dicitur. Audiamus locum (vv. 63—67):

Ipsa venas atque mentem permeanti spiritu
Intus occultis gubernat procreatrix viribus,
Perque caelum perque terras perque pontum subditum
Pervium sui teporem seminali tramite
Imbuit iussitque mundum nosse nascendi vias.

Deinde quod ad hoc dictum attinet: *ventilat afflatu caelum,* similia etiam apud meliores poetas reperiuntur; cf. Propertium IV 3, 50: *Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem*; Ovid. am. I 7, 54: *ventilat aura comas;* Sil. XVI 144: *ventilat aura iubas;* Claud. ep. Pall. 5: *ventilat uvas.*

In illo denique v. 36: *aquis stagnantibus aurum* vocabulum *stagnare* transitive usurpatum est, quod alias non invenitur. Feliciter Wernsdorfius iam Claudiani similem locum comparavit cons. Prob. 151:

Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis
Effluxere decus,

ubi *effluxere* eundem sensum praebet quem hoc loco *stagnare*. Nec tam inepte videmur putare Patricium, quem Claudiani imitatorem satis cognovimus, ex illis tribus verbis *stagna stillantia effluxere* re in unum redacta formasse *stagnare* eodem quidem sensu ac *stagnando effundere*.

Idem audacter formans Patricii ingenium sapit hoc v. 17: *ostentans revocansque membra*, sicut eleganter poeta lascivum expressit sensum, quocum optime comparatur illud Reposiani (Baehrens P. L. M. IV 352) v. 101:

Nunc vestes fluitare sinens vix lassa retentat,
Cum nec tota latet nec totum nudat amorem.

Miram autem dictionis phantasiam, si hoc dici fas est, in hoc vestigamus: v. 71 *laus ab excelsa arce monstrat iter*. Quadrat in allegoricam a toto carmine non alienam speciem. Tamen Baehrensius corruptum esse locum suspicatus est. At hanc celsae arcis fictionem non prorsus abhorrere a veterum poetarum ingenio docent me ipsius Barthii verba in Adv. lib. LX 1 (p. 2827), ubi de voce *celsitudo* ab Augustino usurpata commentariolum facit: „Sic celsam quandam arcem Sapientiae adscribunt veteres, in ea esse, qui humana possent contemnere.“ Affert Barthius ad rem illustrandam Statii locum Silv. II 2, 131:

celsa tu mentis ab arce
Decipi errantes humanaque gaudia vides

et Claudiani cons. Mall. XVII 1: *ex alta mortalia despicit arce* sc. virtus. Huc addendus videtur etiam hic locus: Ciris 14 *si me iam summa Sapientia pangeret arce*.

Omnium autem, quae in carmine adhibuit poeta, rariorum verborum maxime miram praebet speciem vox „deliria“ in hoc versu (37):

Exsultant Dryadum faciles deliria Fauni.

Fauni igitur significantur *Dryadum deliria* neque alio sensu quam hoc: qui delirare faciunt Nymphas.

Similiter, ut iuste Wernsdorfius comparat, Priapus in Petronii carmine *Dryadum voluptas* dicitur. At in ea ipsa voce deliria difficultas inest. Nam semel tantum antiquae aetatis exemplo confirmatur; legitur apud Celsum III 18: *Aliquando ex mente delirium nascitur*, quo quidem loco *delirium* insuper medicae artis vocabulum esse apparet. Contra ex hoc fonte nescio an profecta in recentiorum temporum latinitate *mentis deliria* eodem sensu, quem habeant *vagae stultitiae* vel *ludibria*, florere docent me exempla ipsius Caspari Barthii atque Eustathii cuiusdam Swartii, Barthii amici, qui hoc teste illam vocem *deliria* usurpavit in Analectorum libri I cap. XII, ubi impuros Graecos Iambos Theodori Prodomi in Expostulario ad Providentiam puris Latinis, ut dicit Barthius, reddidit. Extat autem vox *deliria* sub finem illius poematis (cf. Barth. adv. l. LX c. X p. 2904), ubi legitur:

Insipientum
Mactari honori divitum deliria.

Quod autem ipse Barthius in suis carminibus in hac frequentanda voce fere nimius videtur esse — in Soliloquiorum carminibus vicies bis semper eadem, qua nostro loco, sede versus mihi occurrit — non inepte fortasse videmur putare eum maxime ex hoc Patricii loco, quem laudabilem accepit, verbi usum expressisse.

Hactenus de his Patricii dictionis insolentiis. Iam accedunt alia eiusmodi notanda, quae quidem aliqua ex parte iam a doctis, qui carmini operam dederunt, viris repetita sunt ex **textus corruptelis**, quae per temporum iniuriam irrepserint. Sed sicut in emendando non semper felices fuisse viri docti mihi visi sunt, ita etiam sunt, quae omiserint quaeque certe corrigenda videantur.

Hic pauca praefari liceat.

Corruptelae igitur adsunt. Inde nonne certo certius sequitur, ut epithalamium iam tum, cum in Barthii manus

venit, per temporum et librorum seriem migraverit, quo in itinere ea nancisceretur, quae laesa ei adhaereant? An putas per solam Barthii stultitiam fieri potuisse, ut omnia illa menda irreperent lectionem turpantia? Ecce igitur novum adest subsidium, ut carminis vetustatem defendamus.

Ergo sequantur corruptelae.

Ac primum quidem vitia primo obtutu manifesta ab omnibus editoribus epithalamii recte emendata sunt haec:

v. 3 *aetheriis* pro aetherea
v. 45 *festina vato* pro festino voto
v. 61 *alumno* pro alumnos
v. 72 *petunt* pro petant
v. 81 *velit* pro velis.

Porro accuratius exponenda sunt, quae cetera ad textus integritatem pertinent efficiendam.

Ac primum de secunda voce versus 27:

Sidera, blanditu dominam venerata sereno

habeo quae dicam. Nam nomen substantivum *blanditus* (i. e. blanditia), quod Burmannus pro tradita voce blandito formam *blanditu* scribens defendit, vix reperiri apud Latinos iam Wernsdorfius recte monet. Etsi igitur tale verbum, si legeretur, a nostro poeta non prorsus alienum esset, quem hac ipsa vocis stirpe *bland-* delectari elucet, si quidem respicis versum 20: *Blanda manu* et statim v. 22: *Ad iuga blanda* et v. 14: *Gratia blando Intuitu* et v. 47: *Blanda micans*, tamen profecto non video, cur ab eo, quod traditum, recedamus. Nam et blanditus adiectivum pro grato et iucundo non deest nobiliori sermoni Latino; cf. Propert. IV 6 v. 72:

Blanditaeque fluunt per mea colla rosae,

et vocabulum, quocum illud coniunctum apparet, *serenum* pro serenitate minime rarum. Praecipue illud Claudiani respici velim cons. Hon. IV 183: *risitque tuo Natura sereno*, ubi prorsus eodem modo atque de simili re verbum adhibetur, ita ut poetae animum hic id attigisse equidem existimem. Quare non laudo Riesium et Baehrensium, quod Burmannum plane secuti sunt nullo adhibito iudicio.

Deinde in illis de Fama verbis v. 49: *volitans sparsas*

rumore per umbras offenditur. Nam pro hac tradita lectione Burmannus, quem Baehrensius nescio cur secutus sit, scribi maluit: *sparso rumore per urbes* vel *auras*, quod equidem Wernsdorfii sententiam una cum Riesio secutus non probo. Nam et obscurum rumoris progressum significari vult poeta, sicut similia habent Valerius Flaccus II 116:

Famamque vagam vestigat in umbra

vel Vergilius de Fama Aen. IV 184:

Nocte volat caeli medio terraeque, per umbram
Stridens,

et dictum illud *volitans per umbras* ex Ovidiano illo loco (am. I 8, 17):

Hanc ego nocturnas versam volitare per umbras

satis notum videtur. Quare non video, cur a traditis verbis recedamus.

Versu 51 Baehrensius etiamsi bono cum sensu tamen ad arbitrium verba *Orta dehinc* mutavit in *Aucta dehinc*, ita ut *aucta* ad Famam pertineat. Necessitatem non agnosco; nam ex insequente versu:

Non videt auctorem, sed sentit quisque refertque

apparet fabulam esse intellegendam, quae subito orta sit.

Versu 66 traditum est: *studiis Helicone potito*, quam lectionem Baehrensius secutus Burmannum, qui primus verba in suspicionem vocavit, in *studiis Helicone petitis* emendavit. Etsi quidem omnino vox *potito* passivo sensu illis inferioribus temporibus usurpata nos non potest offendere, tamen Baehrensii coniecturam non prorsus abnegare malui, praesertim cum Patricium a flosculis Statianae dictionis suae orationi inserendis minime abhorrere iam cognoverimus. Dico autem hoc loco illud Statii (Silv. IV 6 v. 11):

medioque Helicone petitus Sermo

quod poetae in animo fuisse veri non dissimile est.

Iam vero satis mire atque ita, ut iam Riesius corruptelam suspicaretur, hoc videtur expressum v. 68: Nec pater ipse iugi.

Wernsdorfius quidem levitati atque minori serioris poetae elegantiae tantum tribuere maluit, ut eum *pater iugi*

scripsisse putaret eodem sensu atque *praeses Heliconis*, quem quidem montem paulo ante memoravisset. Tamen verisimilius videtur Patricium non Apollinis, immo ipsius Iovis favorem hoc loco exprimere voluisse, sicut similiter Catullus in nupt. Pel. et Thet. v. 26 Iovis favorem laudat his verbis:

cui Juppiter ipse
Ipse suos divum genitor concessit amores.

Itaque si coniecturam facere licet, equidem inter duas lectiones fluctuor, utram praeferam nesciens. Neque enim hoc si scribam:

Nec pater ipse deum,

nimiam loco vim afferre videar; immo similis loci exemplum facile admovere possim; nam eadem — quod certe haud parvi momenti est — versus sede positum legimus Ciris vers. 269:

Quem pater ipse deum sceptri donavit honore.

Neque vero si Birtii coniecturam, quam cum magna dubitatione protulit, secutus pro *iugi*, quod traditum est, formam *poli* (i. e. caeli) scribi malim:

Nec pater ipse poli,

nimium audere videar.

Deinde versu 70:

atque aliis urit praecordia flammis Gloria

traditum est, in quo haec *aliis flammis* coniunctio tamquam sensu carens recentioribus editoribus minus placuit. Riesius igitur *altis flammis* legendum proponit, Baehrensius *almis* commendat. At melius atque ingeniose Birtius locum sanavit, qui me docuit non in voce *aliis* corruptelam inesse, immo in praecedente *atque*, quod in „utque" restituendum. Ergo si legimus: utque aliis (dat.) urit praecordia flammis (abl.) Gloria, id simul consequimur, quod adhuc pertinaciter semperque desideratum est, scilicet sensus amplificationem, qua hae sententiae, quae antecedunt: *par cura animo*, tum: *labor otia nescit improbus* ad cacumen quoddam ducantur.

Nonnulla deinceps verba de versus 23 his verbis: *divae soror alma Cupido* liceat facere. Recentiores enim editores Riesius et Baehrensius Burmannum secuti traditam lectionem

mutare maluerunt ita, ut distinguerent: *divae soror alma. Cupido aliger eqs.*

Quod tamen minime probari potest. Equidem Wernsdorfii sententiae assentior, cuius argumenta dubitationem omnino non admittunt. Quemnam poeta vult dicere verbis: *divae soror alma*, de qua hoc insuper addit: *non satianda bonis?* Equidem profecto non intellego, nisi ad Cupidinem haec verba referuntur, cui illa apposita designatio optime tribuitur; cf. Curt. Ruf. IX 2, 9 *cupido insatiabilis*. An Baehrensium sequi mavis, qui v. 22 *sedens* pro *sedet* scribi vult, ita ut Siren, quae antecedat, divae soror sit? Hanc certe extremam ineam viam. Atqui mea opinione res simplex est. Nam Cupido, ut recte ait Wernsdorfius, hic non est Amor, qui insequentibus verbis *aliger puer* satis designatur; immo genere feminino dicitur Veneris soror. Quod eo minus dubium apparebit, si ad Dracontium, quem toti huic loco similia habere iam supra cognovimus, comparandum accesserimus. Ibi enim (cf. Baehrens P. L. M. V p. 152) quod v. 57 sqq. inter ceteros L i b i d o enumeratur:

Vix ea fatus eram, subito venit a l i g e r ille,
Ore micans ac fronte minax et crine coruscans
I m p u b e s lascivus; erant cui castra iugata:
Ibat in obsequium Risus, complexibus haerens
Iusta L i b i d o coit, venit et moderata Voluptas,
Candida legitimas accendens Gratia taedas
Accurrit, venit alma Fides, Petulantia simplex eqs.

huic L i b i d i n i, quam primo obtutu in nostro carmine desideramus, C u p i d i n e m a Patricio haud diverso sensu positam respondere apparet. Quid quod ibidem prorsus eodem modo deficiente nomine inducitur aliger sc. Amor? Ecce Drac. v. 57: *aliger impubes*, hic: *aliger puer*. Quare scribendum, sicut traditum est:

divae soror alma Cupido.

Neque adeo offendere potest, si Patricius Veneris sororem esse dicit Cupidinem — scilicet personae specie indutam cupiditatem vel l i b i d i n e m — quae tamquam Voluptas (cf. Drac. l. c.) cum Veneris imagine arte coniuncta esse videbatur.

Denique unus superest carminis locus, qui iudicium postulare videatur. Dico illum, ubi inter Veneris comites Voluptas inducitur, qui traditus est ita v. 16 sq.:

Ante deam tenui decurrit veste Voluptas,
Ostentans revocansque nitentia membra tegendo,
Purpureas croceo suras evincta cothurno,
Speque sua maior nullaque imitanda figura.

neque negari potest illos tres versus 17, 18, 19, quibus tres variae deae descriptiones redduntur, si omnes ad Voluptatem referuntur, efficere ut dictio intolerabilem in modum languescat, praeterquam quod iidem ne bonum quidem sensum praebent. Nam quid significare vult hoc: *Speque sua maior* de Voluptate dictum? Itaque sicut Patricius talia admisisse vix potest putari, ita valde placet Birtii coniectura, qui exigue mutata ratione legendum esse versu 19 *Spesque* pro tradito *Speque* auguratus est. Igitur emendatus locus sonat ita:

Ante deam tenui decurrit veste Voluptas,
Ostentans revocansque nitentia membra tegendo
Purpureas croceo suras evincta cothurno,
Spesque sua maior nullaque imitanda figura.

Sic autem iuxta Voluptatem Spes dea optime inter Veneris comites enumeratur, sic sano cum sensu Spes secundum propriam naturam sua figura vel per suam figuram dicitur maior esse sc. quam Voluptas. Praeterea ut in firmioribus rem ponam fundamentis, velim memineris Birtii[1]) verborum, unde Spem deam cum Veneris rebus arte coniunctam esse intelleges: „dass die Hoffnung in der Erotik eine bedeutende Stelle einnahm, braucht nicht eingehender ausgeführt zu werden. Personifiziert gilt sie hier für das Gegenteil der Nemesis“. Quo addenda quae ibidem Birtius contulit exempla.

Habes quae de restituendis carminis depravatis dicenda fuerunt.

---

[1]) Elpides. Eine Studie zur Gesch. d. griech. Poesie. Marburg 1881. p. 8.

Quibus expositis unum aliquid de tradita carminis forma addendum videtur.

Barthius enim, quem Wernsdorfius secutus est, fragmentum appellat carmen. Nescio quonam iure; nisi forte ex membranarum natura certa indicia hauserit, quod vix verisimile putandum est. Nam postquam sub finem carminis sponsi exoptato foedere coniuncti esse dicti sunt, postquam, quod certe poetae maxime in animo erat, sponsorum laudes iam antea satis dictae sunt, optimum finem carmen habet verbis:

Et patrios laeto repetant rumore Penates,
Unde ante ora suorum et avitae in sedibus aulae
Testentur fixum foedus,[1]) thalamumque coronent.

Igitur bene rotundatum est carmen nec videtur ad orbem suum conficiendum quicquam deficere, quod praeterea requiri possit. Quare quod Wernsdorfius addit: *caetera, quae celebritatem et pompam nuptiarum referebant, periisse videri* nihil cogit probare, praesertim cum ne aliorum quidem similium carminum exempla iustam causam praebeant. Semper enim videmus eo loco epithalamium ad exitum pervenire, ubi sponsorum coniunctio satis perfecta atque osculis vel amplexu firmata esse dicta est; cf. Claudiani ep. Pall. et Cel. v. 131—145 et Sidonii ep. Pol. et Aran. (XV) v. 199, quocum componas nostri versum 86.

Restat ut in **artem metricam**, quam Patricius carmini adhibuit, paucis inquiramus et videamus, num et ipsa ei respondeat, quod de carminis vetustate antea statuimus.

Atque si in universum nonaginta duos hos versus heroicos perspicimus, primo obtutu optimae videntur structurae esse. Nec singulis accuratius pertractatis quicquam mihi occurrit, quod prorsus offendat talemque prae se ferat speciem vitiosam, ut carminis fides labefiat. Nonnulla tantum minus polita

---

[1]) Ita hoc loco interpungendum est, quod omnes adhuc editores omiserunt; nam verba *repetant* et *coronent* ad Amores pertinent, contra verba *unde ante ora — Testentur fixum foedus* per παρένθεσιν interposita de solis Auspicio et Aella dicuntur.

extant, quae tamen non tanta sunt, ut ea ex inferioris maxime aetatis levitate prorsus nata esse putemus. Itaque in iis, quae sequuntur, talia exhibere liceat.

Ac primum quidem paucis versuum caesuras adumbremus. Adhibetur autem longe saepissime caesura semiquinaria, quam formam cum Birtio (cf. Ad historiam hex. lat. p. 7) F I vocemus. Summa struendi diligentia non potest negari; unus tantum versus occurrit minus politus, ubi monosyllabum ante semiquinariam displicet: v. 60 *Auspicium juvenem atque | aequaevae*, qui versus omnino propter molestam elisionum cumulationem turpior.

Novies deinceps vel semel in 10 versibus F III (cf. Birtium l. l.) i. e. semiseptenaria cum semiternaria et caesura post tertium trochaeum coniuncta adhibetur: cf. vv. 1. 4. 11. 14. 38. 43. 48. 58. 72. Accedit quod Patricius hanc quoque formam castigatissime neque sine elegantia struit. Nam cum a licentiis ab aliis in hoc versu haud raro admissis, qui, ut exemplo utar, primum pedem voce dactylica vel spondiaca expleri tolerabant, omnino abstinet, tum, si trochaicos in tertio pede verborum exitus perspicimus, certe aliquam virtutem agnoscere licet, quae ad subtiliorem struendi artem spectet. Plerumque enim trochaei in vocalem, non in consonantem exeunt: v. 4 *suffusa*, v. 11 *visura*, v. 72 *quo celsa*, v. 14 *vitale;* deinde semper *-que:* v. 38 *utroque*, v. 43 *hirtaeque*, v. 48 *totoque*, v. 58 *pompamque*. Unum quidem occurrit exemplum paulo durius, quod contra facit: v. 1 *florebat*.

Jam vero caesura tertia trochaica conjuncta cum sola semiternaria, quam formam Birtius l. l. F V significat, bis adhibetur: v. 17 et v. 33. Vocabula, quae trochaeum efficiunt sunt haec: v. 17 *revocansque*, v. 33 *cedente*, de quibus idem valet, quod modo de tertio trochaeo iuxta semiseptenariam adhibito diximus. Ergo hac quidem in re bonam speciem hi quoque versus praebent. Vituperari potest in v. 33 *Lydia qui cedente reliquerat*, quod pes primus expletur voce dactylica (*Lydia*), quod sibi concedere non solent poetae nisi in iis versibus, qui habent semiquinariam.

Ceterarum denique hexametri latini formarum, quas Birtius l. l. F II, F IV, F VI statuit, desunt apud Patricium exempla, nisi quod tres extant versus (30. 56. 69), qui formam F II ita praebent, ut adsit quidem semiquinaria tamen per elisionem obscurata; cf. v. 30 *Mulcet agros lenique astris*, v. 56 *Per liquidas Hymenaeum auras*, v. 69 *Ingenio par cura animo*. Sed etiam in talibus versibus semiquinaria obscuratur, ubi deest semiseptenaria (et semiternaria); tales sunt v. 60 *Auspicium juvenem atque aequaevae*, v. 63 *Et species morumque opulentia*, v. 91 *Unde ante ora suorum et.* Laxior igitur Patricius videtur in eo fuisse, ut elisionem in caesura adhibere sibi concederet. Facile quidem tolerari possunt v. 69 *cura animo* et eae, quae ad vocem *-que* pertinent, v. 30 et 60 et 63 elisiones, id quod usitatius apud nobiliores. Magis displicent hae elisiones v. 56 *Hymenaeum auras* et v. 91 *suorum et*, quae tamen etiam alias interdum reperiuntur (cf. Claudian. Eutr. I 382 *bellorum alios;* cons. Hon. VI 624 *errorum artes.*)

Verum haec de caesuris hactenus. Nunc vero nonnulla in universum de elisionibus, quas Patricius quamvis non frequentius debito, tamen haud infrequenter atque interdum cum licentia quadam usurpat.

Atqui in elisionibus taxandis quae ratio sit ineunda, egregie me docuit Birtius praeceptor, quem sequor.

Itaque primum morarum locos statuamus hunc in modum:

1. 2. 3. 4. 5. 6. | 7. 8. 9. 10. || 11. 12. 13. 14. | 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24.

Extant autem omnino apud Patricium elisiones inter moras 2 et 3, inter 3 et 4, inter 4 et 5, inter 6 et 7, inter 8 et 9, inter 10 et 11, inter 14 et 15, inter 15 et 16.

Ergo in vitandis turpissimis (velut inter moras 22 et 23, inter 20 et 21, inter 19 et 20 al.) Patricius satis videtur felix esse. Prorsus legitimae sunt elisiones inter moras 2 et 3, ubi ter semperque brevis vocalis eliditur: v. 53 *Atque audisse*, v. 58 *Ipse aderat*, v. 91 *Unde ante.*

Quinquies deinceps inter moras 4 et 5 eliditur: brevis vocalis v. 3 *quoque Aetheria*, v. 91 *ante ora;* longa

syllaba v. 8 *Temperie⁀unanimi*, v. 15 *Intuitu⁀invergit*, v. 20 *manu⁀implexam*.

Inter moras 10 et 11 elisiones sex iam supra ad caesuram exhibuimus.

Legitimae deinceps tres elisiones inter moras 14 et 15 reperiuntur: v. 19 *nullaque⁀imitanda*, v. 84 *pelagoque⁀advertere*, v. 32 *docuere⁀elementa*.

Restant quattuor apud Patricium elisiones: singulae inter moras 3 et 4, inter 6 et 7, inter 8 et 9, inter 15 et 16, qui quidem loci in universum contractioni vocalium minus patent.

Inter moras 3 et 4 *a* in *a* consonum transfluit: v. 71 *Gloria⁀ab;* inter moras 6 et 7 *-que* eliditur: v. 70 *utque⁀aliis;* inter moras 8 et 9 syllaba in *m* cadens: v. 60 *juvenem⁀atque;* denique omnium pessima elisio, quae et propter sedem et propter longam vocalem offendit, haec est inter moras 15 et 16: v. 91 *avitae⁀in*, qui unus versus:

Unde⁀ante⁀ora suorum⁀et avitae⁀in sedibus aulae

omnino cum elisiones intolerabilem in modum cumulentur, omnium maximam habet offensionem redoletque artem fere Lucretianam.

Quoniam igitur omnes, quae occurrunt, elisiones composuimus, breviter, quae inde colligantur, exponamus.

Eliditur omnino vicies semel vel semel in $4^1/_3$ versibus. Decies quater autem breves syllabae eliduntur; longe saepissime *-que*, quod octies accidit (vv. 3. 19. 30. 53. 60. 63. 70. 84.); quater deinceps *-ĕ* (vv. 32. 58. 91. 91.), bis *-ă* (vv. 69. 71).

Ergo hac in re Patricius valde laudandus est. Nam inter ceteras septem elisiones tres tantum sunt, ubi syllaba in *-m* cadens absorbetur: vv. 56 et 91 *-um*, v. 60 *-em*; item tres sunt, ubi longa vocalis: v. 8 *-ē*, vv. 15 et 20 *-ū*.

Denique semel tantum diphthongus eliditur v. 91 *-ae*.

Restat ut pauca addamus, quae praeterea notanda videbantur esse.

Nam in rhythmo atque verborum ordine ad numerum accommodato cum in universum summa struendi diligentia negari non possit, tamen nonnulla minus polita irrepserunt,

sane quae ne a nobiliorum quidem poetarum versibus prorsus absunt.

Hic notandi sunt loci, ubi pes primus vel quartus expletur verbo dactylico vel spondiaco.

Quas quattuor formas, ut in clariore conspectu ponamus, cum Birtio (cf. Ad hist. hex. lat.) vocemus PPD, PQD, PPS, PQS.

Occurrit autem PPD (i. e. pes primus dactylica voce expletus) apud Patricium decies quinquies vel semel in 6 versibus (cf. vv. 7. 24. 27. 29. 31. 33. 34. 35. 36. 39. 40. 65. 83. 86. 87.)

Deinde PQD octies invenitur vel semel in $11^1/_2$ versibus (cf. vv. 17. 21. 33. 50 59. 63. 86. 87.)

Hoc ut non iniucundum ita molestum illud est, quod primus vel quartus pes expletur voce spondiaca. Parcior quidem fuit Patricius in PPS ponendo, quod bis admisit v. 61 *Illos* et v. 66 *Olli.* Igitur res semel tantum in 46 versibus reperitur.

At multo saepius quartus pes vocibus expletur spondiacis vel molossicis. Occurrit PQS duodevicies vel semel in 5 versibus (cf. vv. 2. 7. 8. 12. 13. 16. 40. 42. 45. 51. 52. 54. 60. 61. 64. 67. 75. 91) atque ita, ut plerumque molossicae voces antecedant caesurae bucolicae, velut v. 8 *secluso;* quater spondiacam vocem antecedente monosyllabo invenimus: v. 7 *et Maiae*, v. 52 *sed sentit*, v. 54 *dum divae*, v. 67 *nec sanctae.* Nimirum huius rei offensionem Patricius vitare potuisset, si — excepto quidem versu 7 — verborum ordinem transmutavisset, ita ut semiseptenaria oriretur; sicut bene posuit v. 70 *puro stirps*, atque ita fieri solet apud nobiliores poetas. At aliam causam eum haec ne faceret impulisse apparet. Noluit scribere: *divae dum* aut *sanctae nec*, quia inversionem verborum spernebat. Semel enim tantum in toto carmine inversionem adhibitam videmus: v. 85 *Ales at e medio.* Ergo hoc si respicis, illum metricae elegantiae defectum in Patricio defendes. Nam etiam v. 7 *et Maiae*, quae verba si transmutantur metrum delent, per se defenditur.

Porro autem nonnulla alia composuimus, quae ad Patricii artem metricam clarius dignoscendam pertinent.

Inciditur enim post quartum trochaeum ter: v. 3 *deducta*, v. 10 *comitata*, v. 53 *primus;* item ter post quartum et quintum trochaeum, ita ut adsit vox amphibrachica: v. 9 *aperta*, v. 57 *redire*, v. 78 *ferebat*.

Itaque ne in hac quidem re Patricium nimium deprehendimus, quamquam alios etiam cautiores fuisse concedo. Quod idem valet de incisionibus post primum et secundum trochaeum factis, quarum duo tantum exempla extant; voces amphibrachicae sunt v. 45 *amore*, v. 81 *licere*.

Cum omnibus autem, quas laudavimus, metricae artis virtutibus consentit, quod Patricius etiam clausulam hexametri semper legitimam adhibet: voces monosyllabae numquam efficiunt versus exitum, semper aut disyllabae, quibus quater (vv. 21. 44. 49. 78) praecedit monosyllabum, aut trisyllabae.

Ceterum quod ad leges prosodiacas attinet, ne in iis quidem Patricius peccat; quin etiam castigatissimus sentitur.

Afferam praeterea, quod vocem *cui* non aliter nisi monosyllabum usurpat: cf. v. 42 *Cui lacer*, v. 68 *Nec pater ipse deum cuiquam*.

Denique ne hoc quidem plus habet offensionis, quod vox *choreas* bis adhibetur correpta media syllaba et v. 25 et v. 89 (*chŏrĕas*). Etiam Vergilius habet Aen. VI 644 *plaudunt chŏrĕas*.[1])

Tenes, quae de metrica carminis condicione exponenda videantur. Quae cum ita se habeant, paene nihil attinet addere, quod Patricii hi versus tantum absunt a Barthii multo deteriore arte metrica, ut qui paucos tantum Barthii versus legerit, desipere videatur epithalamii versus illius esse existimans. Nihilominus, ne quid praetermittere videamur, nonnulla hic audiamus exempla, quae Barthianae arti me-

[1]) Cf. Corssen, üb. Aussprache d. lat. Spr. II p. 157 et 331; Lachmann, Comm. ad Lucretium p. 159.

tricae clariorem aliquam inferant lucem. Ceterum iam satis habemus solum elisionum usum pluribus attigisse, quippe qui maxime ob pravitatem sub oculos cadat statimque quantum distet Barthius a Patricio dilucidum reddat. Sectatus ille est praecipue licentias Lucretii. Fere pertinax est in longis syllabis elidendis. cf. Soliloquiorum lib. XVIII de fide salvifica lib. I[1]) v. 82 *Messiae omne*, v. 107 *scripturae agit*, v. 182 *vitae aeternae*, v. 205 *saevae exercitus*, v. 179 *caeli aeterna*, v. 130 *toto ordine*, v. 221 *subito hostili*, v. 332 *aeterna in clade*, porro in elidendis syllabis, quae insuper iambum efficiunt, aut in monosyllabis; cf. ibid. v. 241 *veni io solator*, v. 264 *sui aut*, v. 448 *domi aut*, v. 229 *polo in*, v. 156 *adeo ambiguo*, v. 67 *cum infelici*, v. 127 *cum ipso*, v. 251 *non iam habili inter*, v. 124 *se excipit*. Praeterea molestissimam elisionum cumulationem invenimus, quae interdum ipsam versus pronuntiationem plane obscurat; cf. ibid. v. 132:

Exemplo, doctrina, ore et corde undique eosdem,

qui versus omnino monstri instar sentitur. Nec profecto meliores hi sunt, 187:

Quod te adeo hic quicumque etc.

253: *Sanguine eo animo decori et vitalibus astris.*

Quin etiam Barthius leges prosodiacas neglexit primam vocis *Quotidie* syllabam productam adhibens; cf. v. 161 *Quotidie affundens* et v. 365 *Quotidie infelix*.

Sed haec quidem hactenus.[2])

---

[1]) Consulto ex iis maxime carminibus quae extant libro XVIII sq. Soliloquiorum (cf. p. 7 huius comm. annot.) haurire volui, quia Barthius ea et aetate iam provectior composuit et eodem fere tempore (cf. p. 5 h. c. annot.) in lucem edidit, quo commentarios quoque in Claudiani carmina factos.

[2]) Cui ad Barthiana minus patet aditus, is plures praeterea audiat Barthii versus exempli gratia e Soliloquiorum libro XVIII huc transscriptos (l. II de anima):

Postquam fixa solo fundamina duximus inter
Instantes furias ventorum et stabile murmur,
Clarum uti veridicis firmet Sapientia dictis,
Esse animam, nec id esse, vagis quod dissita Vatum

Itaque quoniam in universum de epithalamii condicione atque de auctoris dignitate certum iam adhibere licet iudicium, nunc eorum, quae hac commentatione protulimus, ut summam faciamus restat.

Ac primum certa ex re et argumento indicia aperuimus, quae ita consentiant, ut iam hinc certam carminis aetatem cognoscere possimus. Vocamur autem ad quintum saeculum, quippe quo aevo nomina Patricii et Auspicii usitatiora fuerint.

Carminibus, veteris sciscit Sententia Musae;
Verum nobilibus spectatam viribus intra
Corpus habere locum, cum sit Substantia, motu
Perpetuo caelorum Orbes imitata volantes.
Illa sed haud oriunda infirmis artubus, ut sit,
Utque capax rationis, ut aequiparabile nomen
Divinis animis, Vivae ut Deitatis imago,
Hinc tibi jucundo clarescet carmine: quisquis
Mortales contemnere opes, tua quaerere tecum
Regna cupis, felicem in se absolventia Vitam.
  Principio ratione animas florere potentes
Vita docet communis, habens inventa tuendae
Multa sibi: quae forte aut casso didita casu
Non possint dici, longo cum tempore demum
Sensibus occultis in lucem tradita migrent;
Praeterea neque sint, quas non probet usus, inertes,
Multo exercitio et speculanti mente repertae,
Egregiae morum, et subtilis acuminis, artes.
Scilicet utilibus quae sunt data censibus apta,
Laude vehas merito; quae sunt laudanda, probabis
Non citra Rationem inventa; notabile Numen
Mens Rationis habet, quae, laudibus apta, redegit
Usum in communem, non uno, munera, cultu.
Namque ea corporeis exponere, ferre sub auras,
Sensibus haud ulli liceat, cum regula certo
Fixa gradu in praesens sensus decus occupet omnes.
At longe quaerenda, et acuto lumine mentis
Indaganda diu, nec tactu prendere possis,
Nec gravis auditus affixo robore membris;
Non oculis, licet altam, Aquilis aequabilis, aethram
Praepete trajicias visu; Primordia densa
Nocte latent, Animae, solum ratione potitae,
Divina venit huc vis alite, fulgure dextro.
Haec tibi jam clara melius virtute patescent.

Atque cogitandi rationis talia vestigia, quae maxime ad illam aetatem referamus necesse est, satis reperiuntur et in illa nimia sponsorum laude et in specie allegorica, quam fabularum apparatui Patricius adspersit, et in aliorum imitatione. Praeter Claudianum nimirum quasi fontem, unde Patricii musa suam vitam parvam hausit, imprimis imitatus est Vergilium, Ovidium, Statium, Silium, tum etiam Lucretium, Tibullum, Propertium, Catullum, Nemesianum, Calpurnium. Neque hac in re parvi momenti est, quod ex Vibii Sequestris libro scimus ipsos illos Vergilium, Ovidium, Statium, Silium maxime quinto saeculo lectitatos fuisse.

Denique dicendi rationis atque artis metricae, quae offendant, nihil invenimus, nisi quod pauca quaedam vocabula occurrunt, quae mira sunt quorumque usus, praecipue quantum ad poesin pertinet, parum probabilis videtur. Talia videlicet, quo magis displicent apud poetam, quem ceterum non pravi ingenii atque felicissimae inventionis esse nemo negabit, eo facilius haec tamquam vestigia siccae illius ieiunaeque doctrinae agnoscimus, quae inferioribus temporibus magis magisque invalescebat. Sicut Patricius parum poeta fuit nec talis vocis ut *deliria* offensionem pravitatemque sentiebat, ita adeo vir eruditus doctusque fuit, ut praeclara bonarum litterarum atque potissimum aureae aetatis poetarum scientia eum, ne plura amplioraque peccaret, quasi inscium servaret atque tutaretur.

Itaque, ut rem breviter complectamur, fuit Patricius poeta a sui aevi vitiis haud alienus, qui quod suo ingenio poetico defuit, eo compensabat, quod in verborum electione sicut nonnumquam mirus fuit atque quasdam elocutionis proprietates obtulit, ita ne alienis quidem fontibus quasi suos hortulos irrigare spernebat. Attamen semper retinendum propter multa, quae suo loco satis enuntiavimus, Patricium laudandum esse atque dignum, quem in poetarum saeculi quinti numerum inseramus.

PATRICI
EPITHALAMIUM AUSPICI ET AELLAE.

Vere novo florebat humus, satus aethere sudo
Imbre maritatum vegetabat spiritus orbem.
Ipsa quoque aetheria deducta propagine flamma
Visceribus suffusa cavis nova germina largo
Urgebat gremio reparans elementa calore.
Latonae geminum numen, Cythereïus ignis,
Iuppiter ipse parens et Maiae mobile pignus
Temperie unanimi, secluso frigore tristi
Saturni veteris, mundi per aperta nitebant:
Cum Venus Idaliis comitata sororibus exit
Thessalicos visura Lares, ubi florida Tempe
Perpetuis faciles conservant cultibus hortos.
It Natura comes lactenti feta papilla,
Unde venit vitale decus; prope Gratia blando
Intuitu invergit florem nascentibus herbis.
Ante deam tenui decurrit veste Voluptas,
Ostentans revocansque nitentia membra tegendo
Purpureas croceo suras evincta cothurno,
Spesque sua maior nullaque imitanda figura.
Blanda manu implexam tenet hanc ducitque canendo
Aetherias Siren iterabile carmen ad auras.
Ad iuga blanda sedet niveas moderata columbas,
Non satianda bonis, divae soror alma, Cupido.
Aliger obsequio stipat puer; agmen Amorum
Claudit agens choreas pictis exercitus armis.
Arrident late toto revolantia mundo
Sidera, blandito dominam venerata sereno.

B = *codex Barthii.*

8 aethereis *B* || 13 foeta *B* || 19 Speque *B* (cf. h. c. p. 47) || 21 Aethereas *B*, Seiren *B* || 27 blanditu *Burm.* *(p. 43).*

Ipsa levi residens curru, mitissima divum,
Ventilat afflatu caelum Zephyrisque remissis
Mulcet agros lenique astris adremigat aura.
Protinus ut liquidum Phoebi iubar ore recussit
Progressamque deam docuere elementa favendo,
Lydia qui cedente reliquerat arva sorore,
Obvia pampineis Liber rapit agmina thyrsis.
Ditia Pactoli superat Peneïus amnis
Munera, clarus aquis nitidum stagnantibus aurum.
Exsultant Dryadum faciles deliria Fauni
Et Satyri, sub utroque deo promtissima pubes.
Corniger hos stimulis implet puer, aethera clangor
Verberat et crotalis responsant tympana pulsu.
Ecce pater pando recubans Silenus asello,
Cui lacer a summo pendebat cantharus armo
(Vina per os hirtaeque fluunt compendia barbae),
E numero comitum Veneris uestigat et olim
Captus amore petit festino Chlorida voto.
Nympha retrocedens dum spes alit inque furentem
Blanda micans oculis refugit pede, libera lusu
Turba favet totoque fremit petulantia coetu.
Hic subito volitans sparsas rumore per umbras
Fama movet mentes incertaque murmura portat.
Orta dehinc largo narratur fabula motu:
Non videt auctorem, sed sentit quisque refertque
Atque audisse putat, nec primus in agmine toto est:
Mane sub Eoo, dum divae castra moventur,
Elapsum pennis et inobservata ferentem
Per liquidas Hymenaeum auras vestigia Romae
Advertisse pedem subitoque redire tumultu.
Ipse aderat pompamque trahens victosque iugali
Quos inconsulta coniunxerat arte Diona,
Auspicium iuvenem atque aequaevae pectus Aellae.

29 coelum *B* || 40 pulsis *Burm.* || 42 cantarus *B* || 45 festina *B* vato *B* || 46 Nymfa *B* || 49 sparso — per urbes *vel* auras *Burm.* sparso — per auras *Baehr.* *(p. 44)* || 51 Aucta *Baehr.* *(p. 44)* || 58 vinctosque *Burm.* vincloque *Mey.* || 59 Dione *Burm.*

Illos prima patrum generosae stirpis alumnos
Nobilitas tota pridem celebraverat urbe
Et species morumque opulentia comta nitore;
Nec semel Arcitenens tentarat spicula castis
Indere pectoribus, matris molimine magno.
Olli florebant studiis Helicone petitis,
Nec chorus Aonidum nec sanctae Palladis ardor
Nec pater ipse deum cuiquam maiore favebat
Ingenio; par cura animo: labor otia nescit
Improbus, utque aliis urit praecordia flammis
Gloria, ab excelsa laus intemerabilis arce
Monstrat iter, quo celsa petant fastigia rerum
Semideae mentes, puro stirps prosata caelo.
At teneros aevi nec adhuc puerile sonantes
A primis fausto sociarant omine cunis
Solliciti longa de posteritate parentes.
Hinc puer elusa iuga Calliopeius illis
Nexuerat domina laetamque ferebat ad aulam
Luctantes rapiens iuvenes, immane tropaeum.
Indignata tamen risit dea; nec tibi tantum
Saepe licere velis, nimium studiose pudoris,
Maternos nimium, puer, amplexate rigores.
Protinus instaurant pompae genialis honorem
Deflectuntque viam pelagoque advertere certant.
Ales at e medio revolans Concordia coetu
Iungere nunc dextras, nunc oscula pangere mandat
Primaque perpetuis mysteria tradere curis.
Ipsa pharetratos urget dea pronuba fratres
Sancta Fides, flectant choreas ad moenia Romae
Et patrios laeto repetant rumore Penates,
Unde ante ora suorum et avitae in sedibus aulae
Testentur fixum foedus, thalamumque coronent.

61 alumno *B* || 66 potito *B (p. 44)* potiti *Burm.* petitis *Baehr.* || 68 iugi *pro* deum *B (p. 44 sq.)* || 70 atque aliis *B* atque altis *Ries.* atque almis *Baehr. (p. 45)* || 71 ad aetheriam — arcem *Burm.* || 72 petunt *B* || 73 coelo *B* || 75 sociarunt *Mey.* || 77 iam Cythereius *Burm.* || 81 velit *B.*

VITA.

Natus sum Rudolfus Buente anno huius saeculi LXVIII Non. Ian. Hannoverae in urbe Megalopolitana patre Guilelmo matre Maria e gente Brauns, quibus superstitibus valde laetor. Fidem profiteor evangelicam. Hannoverae gymnasium adii, quod vocatur Lyceum II, unde vere anni LXXXVI maturitatis testimonium adeptus, ut studiis philologis me darem, Friburgum Brisigaviae me contuli ibique per sex menses scholis interfui virorum doctissimorum Brugmann, Paul, Steup. Deinde Lipsiam migravi, ubi per tria semenstria magistris usus sum illustrissimis Brugmann, Hanssen, Heinze, Hildebrand, Koegel, Lipsius, Ribbeck, Springer (†), Windisch, Zarncke. Tum Kiliae scholas adii, quas habuerunt viri doctissimi Blass, Foerster, Vogt. Marpurgi denique Cattorum inde a vere anni LXXXIX me docuerunt viri clarissimi Birt, Cohen, Kauffmann, Schmidt, Schroeder, Wissowa. Ibidem sodalis fui seminarii philologi per tria semenstria, seminarii Theodisci per bis sex menses.

Omnibus autem praeceptoribus, imprimis Theodoro Birtio, qui liberalissime studia mea et consilio et opera adiuvit, gratias ago quam maximas semperque me habiturum profiteor.